



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib XIII. Vexata Societas in Anglia, Scotia, & Hibernia, ab anno MDXCI. ad
MDCXVI. Catholicam Fidem gloriosis erumnit, & complurium è suis nece,
defendit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XIII.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XIII.

Vexata SOCIETAS in Anglia, Scotia, & Hibernia,
AB ANNO MDXCI. AD MDCXVI.

I.



Prima causa vexata in Anglia Societatis, odium Religionis Catholicae. Ob eam causam coniectus in carcerem P. Thomas Mettamus, arumnis in eo toleratis extinguitur. P. Ioannes Cornelius Dorcestriae; P. Robertus Southwellus Londini, interficiuntur. P. Ioannes Gerardius dirè cruciatur. PP. Henricus Walpolus, Rogerius Filcockius, Franciscus Pagius, in patibulum tolluntur. Nicolaus Owenius tormentorum vi disrumpitur: P. Thomas Strangeus excarnificatur. II. Se-

cunda causa vexata in Anglia Societatis, quorundam sacerdotum Cleri Anglicani abalienatio à Societate. Illis regendis & pacandis praeficitur Archipresbyter à Summo Pontifice. Quinam Appellantes, & unde sic dicti. Mors Elizabetha. III. Tertia vexata in Anglia Societatis causa, Iacobi I. erga Catholicos acerbitas. In eum proceres aliqui conjurant. Accusantur Societatis homines tanquam auctores conjurationis, aut saltem conscii & participes. Id conjurati palam & constanter negant. Inde tamen quaesita causa necis inferenda Patribus Henrico Garneto, & Eduardo Oldcorno. Qua fides habenda sit Actis Londinensis fori tunc editis. IV. Quarta vexationis causa subdolum Fidelitatis Iusjurandum catholicis à Rege propositum, & imperatum: prohibitum à Summo Pontifice: cujus sententiam dum tuerentur Socii variis arumnis afficiuntur, & P. Thomas Garnetus necatur. V. P. Robertus Peronius Angliam deserere coactus diem supremum obit Romae. Ejus vita, virtutum, laborumque summa. VI. Patrum Guillelmi Balduini, Ioannis Blacfanni, Ioannis Perceii, & Thomae Laythwayti dimicationes, arumnae, victoria. De Anglorum Episcoporum legitima & Apostolica successione falso ab iis venditata. VII. Liber P. Francisci Suaris contra Fidelitatis Iuramentum scriptus flammis addicitur à Rege Anglia. VIII. Societas laboranti Scotia succurrit. Parrii sycophanta historia. IX. P. Ioannes Ogilbeus gloriosa nece religionem illustrat. Collegii Scotorum in Urbe cura Societati data. X. Periclitantem in Hibernia Fidem Societas defendit. XI. P. Edmundus Donatus caditur: item Dominicus Ocolinus. Aliorum varii & fructuosi labores. XII. Ad conservandam in majori Britannia religionem Seminaria instituuntur in Belgio, Hispania, & Italia. Conatus Anglorum ad ea evertenda. XIII. Turba difficiles eorumdem opera excitata in Seminario Anglicano Romae. XIV. Carcer Wisbicensis. Leodiense Anglorum collegium. XV. Aliquot Socii, post arumnas graves in Anglia toleratas, placidè ac pie mortui.

HEN-

HENRICUS VIII. Angliæ Rex, edito contra Lutherum egregio scripto præclarum defensoris Fidei titulum meruerat anno MDXXI. Sed Anna Bolena pellicis amore captus, Catharinam Aragoniam, Caroli V. materteram, repudiavit anno MDXXXIII. Ob id Clementis VII. sententia notatus, se ab ejus communione regnumque suum divulsit, ac sibi principatum Ecclesiæ Anglicanæ arrogavit: denique obfirmatus in schismate obiit anno MDXLVII. Tres habuit liberos: Mariam è Catharina, Elisabetham ex Anna, & Eduardum è Joanna Semeira; quam, Annâ Bolenâ ob adulterium capite plexâ, uxorem duxerat. Eduardum successorem testamento dixit, illique Mariam, Mariæ Elisabetham substituit. Sed Eduardus, ejus appellationis Rex Angliæ VI. patri superstes septem tantum annis fuit. Quare, illo extincto, regnum capeffit anno MDLIII. Maria, & arcessito Cardinali Reginaldo Polo, propinquo suo, totam insulam Fidei communionique Romanæ restituit. Erepta vivis est anno, quàm regnare coeperat, quinto*; citius quàm religioni & Angliæ expediebat. Elisabetha quippe revocavit hæresim, bellum immane catholicis indixit; neque finem in eos sciendi prius, quàm vivendi fecit. Inde causas odii, quo Romanam ac veram Fidem Angliæ prosequeretur, intelligere promptum est. Elisabetham stimulat ultionis cupiditas; proceres inescabat avaritia; populum erroris licentia fascinat. Elisabetha memor anathematis, quo per Romanum Pontificem fuerat percussa, muliebres iras fovebat, quas nulla temporis diuturnitas mitigavit. Proceres saginati exuviis templorum ac spoliis sacerdotum, utili gaudebant impietate: populus à cæcis ducibus in vitiorum & hæreseos barathrum coniectus, errorem cupiditati amicum & licentiæ non modo deponere non curabat; verum etiam melioribus ducibus ac magistris infensus, eos in hostium numero ac perduellium habebat. Præter hanc præcipuam vexandæ Societatis causam, à religionis odio ductam, quæ latissimè patet, exortæ sunt aliæ hisce postremis Claudii Aquavivæ annis; secularium nempe sacerdotum æmulatio quædam, & abalienatio à Societate: suspicio nefandæ conjurationis in nostros coniecta; propositum denique catholicis insidiosum Fidelitatis juramentum. Quid ab his quatuor causis in Societatem periculi & exitii profectum sit ab anno MDXCI. ad MDCXVI. hic liber singillatim exponet.

STATIM atque nata Societas est, Angliæ laboranti subvenire studuit. Venere auxilio catholicis popularibus suis Patres Campianus, Briantus, & Cottanus: necem loco mercedis retulerunt. Adhuc fumabat platea Londinensis illorum sanguine, cum P. Thomas Mettamus ærumnis in ergastulo crudeli toleratis extinctus est. Deseruerat Angliam, & claram genere opibusque domum, ne Fidem catholicam deserere cogereetur. In patriam nihilominus redire cogitans, litteris animum diligenter excoluit, non profanis tantum, sed multo magis etiam sacris. Philosophiæ igitur ac theologiæ, linguarum Græcæ atque Hebræicæ præfidiis instructus; præterea sacerdotio auctus, in Angliam renavigavit sub annum MDLXXV. Agnitus in ipso aditu, & Londinensem in turrim coniectus, ibi hæsit ferè quadriennium. Sed cum padore ac situ carceris confectus extabesceret, abductus inde fuit in varias custodias Londinenses, non ut mitius viveret, sed ut lentius moreretur. Jamdudum aggregari ad Societatem percipiens, & scribendi facultatem demum nactus, dat litteras ad P. Thomam Darbishirum, Lutetiæ tunc degentem, amicum & popularem suum, ut ea de re cum Præposito Generali agat. Is ad Everardum Mercurianum Societatis moderatorem; Everardus ad Mettatum scribit, cumque in Societatem cooptat anno MDLXXIX. quarto Nonas Maii: ut constat ex ipsius Everardi litteris, quæ in Romanæ Professorum domus tabulario servantur; non anno MDLXXXIII. ut alicubi legitur. Ita auctoratus Mettamus continuo se Societatis alumnum, & bonum Christi. IESU militem* præbuit. Ex ipsis vinculis verba faciebat ad eos, qui recentes quotidie in eandem custodiam detrudebantur: alios ad veritatem, alios ad virtutem amplectendam perducebat; hæresis etiam ministrorum, si qui accederent, inscientiam coarguebat. His permoti satellites Erroris in remotum & horridum carcerem Mettatum compingunt, Abest ille Londino passuum millia fermè quinquaginta,

I.
Libri XIII.
prospectus.

* Anno 1558.

S. I.
PRIMA CAUSA
VEXATÆ SOCIETATIS IN ANGLIA, CATHOLICÆ RELIGIONIS
ODIUM.

2.
P. Thomas Mettamus ærumnis in diuturno carcere toleratis extinctus.

* II. Tim. 2.

A. C. 1592.
Soc. 53.

ginta, olim Eliensium Episcoporum castrum: sed propter cæli gravitatem desertum, rudera duntaxat ac parietinas habebat, muris undique fatifcentibus, testisque dirutis. Wisbicum loco nomen est, inter Comitatus Norfolciensem & Lincolniensem. Vastum & palustre solum, stagnantibus aquis, ac turpi uligine deforme. Hanc sedem, seu sepulcrum potius, delegerant religionis hostes enecandis, citra cædis invidiam, catholicis quinque & triginta, quos è variis custodiis illuc transfulerant. Singuli suum in cavum inclusi, frigore, æstu, solitudine, fame, tenebris & squalore foetido cruciabantur. Excubiæ (tortores verius dixeris) intus & foris pervigiles ac perpetuæ, ne quod undecunque solatium ærumnarum aut levamentum, ac ne testis quidem, aspiraret. Tot malis accedebat quasi ad cumulum præfectus carceris Grayus, homo ferox & insigniter barbarus, odio in catholicos tam capitali, ut profiteretur demens, si salutis æternæ spes nusquam nisi apud Papistas constaret, malle se ab illis disjunctum perire sempiterno exitio, quam iisdem junctum cælo donari. Et execrabilis voti compotem fuisse luctuosa mors indicavit, quæ filiam ipsius ita percudit, ut hæresim detestata converterit se ad catholicos, & cum illis salutem consequi, quam cum patre æternum interire, meliore ac sanctiore voto maluerit. Extincto Grayo, mitescere custodum feritas paulisper visa; facta vincitis potestas colloquendi; laxata excubiæ. Orium illud improvisum & inexpectatum Mettamus utiliter collocaturus, diem in certas pietatis exercitationes descripsit: eadem constituit omnibus, signo dato, surgendi, orandi, legendi, tempora, & sacerdotibus sacrificandi. Statis horis explicabantur placita Fidei catholicæ, in controversiam apud hæreticos vocari solita: explanabantur sacre scripturæ loci difficiliores, adhibitis linguarum Græcæ & Hebraicæ, quæ Mettamo erant notissimæ, subsidiis. Ergastulum cœnobio mutatum diceres: adeo ut jam Angliâ totâ Wisbicensis carcer, tanquam virtutis & eruditionis palæstra, celebraretur. Urebat erroris ministris hæc fama, nimirum innocentia Mettami testis clarissima & certissima. Itaque, cum è variis carceribus sacerdotes amplius septuaginta, Elisabethæ jussu donarentur exilio, Mettamus exfors hujus, sive beneficii, sive mitioris pœnæ, fuit; licet in vinculis jam annos undecim teneretur. Interea debilitatis viribus, quas etiam pœnis voluntariis afflexerat, non alio morbo quam decem & octo annorum gravissimis ærumnis oppressus, perceptis insigni pietate sacramentis, in libertatem sempiternam à Deo vindicatus est, annos ferè sexaginta natus*.

* Mense Junio.

Annus MDXCII. qui finem longi laboris Mettamo dedit, idem dedit initium P. Roberto Southwello pœnæ acerbioris, licet non ita diuturnæ. Ortus in Angliâ claro genere, ex eaque ob Fidem catholicam profugus, bonas artes Duaci didicit. Inde contendit Romam, ut in Societatem admitteretur, in qua sperabat, præter virginitatis coronam, & sacri lauream doctoris, se quoque martyrii palmam posse consequi. Admissus & sacris Ordinibus initiatus, ut erat ingenti animo, ultimam Indiam & Orbis ignoti fines Christo subicere ardebat. Verùm, postquam promptiorem ac faciliorem fundendi pro Fide sanguinis in patria oportunitatem agnovit, eò totus ferri cœpit, ac summis precibus id à moderatibus efflagitare: quorum concessu comes additus P. Henrico Garneto, Romam transmisit in Angliam anno MDLXXXVI. ætatis quinto circiter & vigesimo.

Delitescere plurimum in pago Uxendenio, prope Londinum, apud Anglum nobilem Bellamæum, cujus familiam catholicam excolebat. Ejusdem filia Anna, quæ Southwellum de rebus divinis verba facientem sæpe audierat; ob catholicam Fidem comprehensa, in carcerem Westmonasteriensis, ut vocant, Portæ coniecta fuerat. Huic præerat carceri Topcliffus, impurus homo, atque impius; nec minus ferox & immanis, eoque reginæ ministris carus. Ille, ut Fidem virgini eriperet, pudicitiam delusæ ac volenti eripuit. Sunt enim religio & castimonia inter se se arctissimo conjunctæ vinculo, ut qui unam perdidit, alteram non facile retineat. Corruptam puellam Topcliffus, ut inultum lateret flagitium, uni è suis famulis uxorem dedit. Puella infelix gemino scelere ejurata religionis & projecti pudoris, addidit tertium prodicionis ac perfidiæ. Nam, cum se patrimonium degeneri matrimonio amisisset, dotemque sibi negari à parentibus

3.
P. Roberti Southwelli accessus ad Societatem & in Angliam reditus.

rentibus cerneret, jacturam hanc sarcire deferendis ac detegendis catholicis sacerdotibus decrevit, quæ tunc artes erant in primis quaestuosæ. Venit illi in mentem Southwellus, in quo prodendo ingens lucrum faceret; nihil pensi habens paternam domum, parentes & propinquos certum in exitium, si apud eos inventus ille foret, conjicere. Lata virum adit, monet opimam sibi esse in manibus pradam: scire ubi Southwellus lateat. Certior de re tanta factus à famulo Topcliffus, ampla pollicetur præmia, si rem conficiat. Continuo mittit obscena doli machinatrix notum hominem ad Southwellum, rogans ut condita die venire ne gravetur in paternas Bellamæorum aedes: habere se quidpiam gravioris momenti, quod ibi cum illo communicatum velit. Southwellus, sive mulieris à Fide catholica defectionem ignoraret, sive respuisse crederet; promisit omnino se adfuturum: nec dubitavit perfida mulier, quin adesset constituta die. Itaque Topcliffus, quid egerit, quid facto sit opus, narrat: latebras ipsi accurate describit, in quas abdere se Southwellus consueverat, indeprehenfas hætenus & inextricabiles. Topcliffus cum expedita latronum manu advolat Uxendenium, domum Bellamæam petit nocte intempesta; clausasque fores magno tumultu quatens, Regina jussu ac nomine venire se denunciat. Paucis ante horis advenerat Southwellus, sermonemque de rebus piis ad congregatam in conclavi familiam habebat. Audito tumultu omnes diffugere, Pater sacram colligere supellectilem, & subterraneum in specum se projicere, dum à famulis, quasi evigilantibus, & fores operosè de industria referantibus, moræ neuntur. Irrumpit medius in armatorum satellitum globo Topcliffus, & minas ac cædem ore torvo spirans, obviam nobilem matronam, Annæ matrem, rogat ubi sacerdos Societatis delitescat. Quem tu vero sacerdotem, ait illa, occinis? quousque nos vanis terroribus ludificari perges? Cui Topcliffus, esse non vanos hodie scies: & indicia data secutus, ad locum præmonstratum, attonitis omnibus, pergit. Consistit ad latebras, operculum nexu inobservabili pavimento confertum revellit: Southwellum bis terque compellans ac deridens, educit, ac vincum vilique jumento impositum rectà Londinum deportat.

Ingentem Elisabethæ administris hæc præda læticiam attulit: dubitationem tamen ac solitudinem duo injecere. Primum, quod immanes illi cruciatus & carnificinæ, quas in catholicos sacerdotes ad hanc diem adhibuerant, magnam Reginae constarent invidiam: alterum, quod Roberti pater Richardus Southwellus, homo domi nobilis & in aula graciosus esset: cujus etiam uxor ipsi Elisabethæ cara & familiaris. Hanc igitur viam inierunt, ut in ipsius Topcliffi ædibus, quasi libera in custodia, servaretur: quod valeret ad lenitatis & clementiæ famam; ac majorem daret facultatem Topcliffus exculpenti, quibuscumque vellet modis à Southwello earum rerum confessionem, quas rescire interesset. Nihil accidere poterat Topcliffus jucundius, qui palam prædicabat tum se regnare demum ac vivere, cum sacerdotem haberet in manibus, torquendum arbitrato suo. Et vero aiebat esse domi suæ machinam admirabilem à se excogitam, præ qua illi vulgares equulei, cippi, trochleæ, ludus ac puerulorum crepitacula mera jure censerentur; quodque caput erat, suam unius manum, nemine alio teste aut confcio, huic machinæ tractandæ & reo admovendæ satis superque esse.

Huic Phalaridi deditus est Southwellus. Quid immanitatis in eum deprompserit homo ferreus, promptum est ex iis, quæ diximus, suspicari. Abreptum, exiit vestibus, pedes & crura retro adducta, coxisque artissime adjuncta constringit. Tum extremis brachiis, qua manus carpo committitur, induit armillas quasdam, lato ferro & intrinsicis exsertis cuspidibus horrente. Brachia hunc in modum ornata defixis in muro clavis trabalibus alligat divaricata & distracta, quam longissimè abungi poterant. Ita, retortis ad tergum pedibus, & cingulo tenus revinctis, suspensum tandiu tenebat, dum illum pænè vita deficeret. Nervorum contentio, artuum luxatorum dolor, punctio aculeorum quibus erant præfixæ manicæ lacertis inditæ, ipso pondere corporis majorem in modum augebantur. Septem & plures aliquando pendeat horas, visente interdum Topcliffus, & nunquidnam fateri vellet, minaciter inclamante. Cum exhaustum & semianimum

4.
Comprehenditur, & Londinum abductus torquetur.

intuebatur, demittebat; ac fomentis quibusdam recreatum, eidem postredie reddebat cruci. Adfuit interdum ipse Guillelmus Cecilius, & invictum animi robur admirans, non se tenuit, quin supplicii dicitatem cuidam amico denarrans, inventos diceret in Anglia tandem heroes, qui priscis illis heroibus non concederent. Nihilominus laudabatur Londini Reginae clementia, quae Societatis hominem in manifesto crimine deprehensum urbano ac miti teneret hospitio. Sed quodnam esset isthuc lenitatis & hospitii genus, brevi patuit. Post dies admodum undecim, cum nihil proficeret Topcliffus, Southvellum ipse ad regium tribunal (Scamnum appellant) deducit. Ibi ex formula interrogatus, Quis esset, unde venisset; an, & cur legibus proscripsum religionem in Anglia disseminaret; respondit se Societatis Jesu sacerdotem esse: venisse, ut catholicam religionem, Romano ex fonte haustam, explicaret civibus suis; & sanguine, si esset opus, consignaret. Si necis causam quaeritis, ait, haec abunde vobis est; & macerata: sic mihi, sic Reginae satisfiet. Ceterum parcite, obsecro, inauditis supplicii humanas tentare vires: intra mortalis patientiae modum favere vobis libeat. Nolite infandam vestro nomini, aetati vestrae ac genti labem crudelitatis inurere. Deum judicem denique cogitate. Hic Eduardus Cookius admiranti similis, ut advocati regii gerebat munus, interfatur; &, Quod, inquit, pertinet haec invidiosa mentio novae feritatis? Hanc Reginae scilicet gratiam refers, quae majestatis & proditoris reum tam clementer habet. Meam igitur domum, carcerem & officinam crudelitatis vocas? adjecit Topcliffus. Imo, carcere quolibet dirorem, retulit Southvellum. Quem in ea vidisti equuleum? Quos in ea cruciatus, omni catasta & equuleo immaniores, non pertuli, tortore te? Illi, quibus vix infesto, pedes; illae ferreis cuspidibus lancinatae manus; ille, quo madet adhuc pavimentum tuum, sanguis, hujus tui hospitii & animi lenitatem loquuntur. Simul cruenta exferebat ac tumentia livore foedo brachia, seriemque terribi cruciatus aperiebat intermorta, sed vera tamen & constanti voce. Topcliffus omnium se signari oculis & indignatione premi videns, erupit: &, Quod feci, ait, jure feci; nec facti poenitet. Statim prolatae sine syngrapha recitat, qua potestas ipsi ab Reginae ministris summa & liberrima fiebat Southvelli ad arbitrium suum cruciandi. Enimvero, addidit Cookius, tam improbum genus estis Jesuitae, ut nova & inusitata in vobis torquendis exempla edere fas piumque sit. Qua voce erectus Topcliffus, quanta potuit maxima contentione succlamat, cupere se quantum Jesuitarum orbe toto esset, in unum fascem habere collectum, ut stirpem nefandam flammis universam absumeret, ac cineres ventis ludibria spargeret. Sic inflammatus rabie, Southvellum in aedes suas reducit, ubi liberis sacerdotis modestissimi voces immanibus, quos jam decies in eum exercuerat, cruciatibus, majori crudelitate repetitis ultus ad satietatem est.

5.
Southvellum
in tetra carcere
maceratus, a pa-
rente suo vix
agnoscitur.

Interim, vulgata per urbem fama, infremuere omnes, etiam Haereticos; gravesque ad magistratus regios, & primum Elifabethae administrum Guillelmum Cecilium, querelas detulere tam acri convicio, ut offensionis publicae mitigandae causa, Cecilius licitoribus immissis Topcliffum, quasi potestatis datae limites egressum, aut etiam ementitae syngraphae nefarium artificem, vinculis mandaverit; quibus brevi, sedata nimirum invidia; solutus est. Idem Southvellum in carcerem Westmonasteriensis portae traduxit, ubi detrusus in foedissimum custodiae angulum, aërum, inedia, paedore propemodum est extinctus. Itaque, altero mense vix elapso, in eorum qui carceres, ut fit, lustrabant productus conspectum, adeo miserabilis apparuit, vix ut hominem agnovissent: facie cadaverosa, dejectis ac tabentibus genis, putrefacta veste, toto corpore vermibus olidis cooperto. Admonitus Richardus Southvelli pater senex occurrit, ac filium macie & illuvie tetra deformem, seminudum, semivivum, cernens, dolore vocem opprimente, ad ejus pedes flens & exanimatus corruit. Mox ad Reginae adit supplex, & obsecrans ut Patris, ut filii miserescat: avitam nobilitatem, nonnulla sua in publicam rem merita commemorat: filium accusari posse; damnari etiam, si reus sit: at aequum non esse ut indemnatus, indicta causa, poenas tam crudeles dependere jubeatur. Haec lacrymis perfusus orabat pro nato parens, idque

que in magni beneficii loco visus est impetrasse, ut liceret ipsi filium vestire suis sumptibus, & parè ac duriter alere. Tantum immanitatis cultissimæ Anglorum genti suadere falsa religio potuit! Southwellus postea in arcem Londinensem est perductus: ac post menses ferè triginta patibulum, triennii tot in ærumnis confecti præmium ingens, tulit. Sed (ut cetera quæ ad heroem Christianum pertinent eodem filo & loco pertexamus) antequam pretiosa morte donaretur, Londinensem turrim, expleto illic biennio, sexque admodum mensibus, rursùm tristicio carcere mutaverat. Erat is carcer unus omnium, qui duodecim Londini tunc erant, longe teterrimus: Portæ Novæ illi nomen est; Anglis, *Newgate*; ficariis & sacrilegis addictus. Ejus pars quadam depressior, nempe fovea sub terram altè defossa, arcta, pestilens, æternis damnata tenebris, sentina & cloaca fœdissima, quem *Limbum* idcirco appellabant, Southwello destinatur. In id barathrum demersus, cibi, lucis, somni, solatii omnis expertus, lenta conficiebatur nece. *At Deus, qui cum illo descenderat in foveam*, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris**. Uni è custodibus, homini hæretico, è grege Puritanorum, sacerdotibus & Societati præter ceteros infensorum, hæc data erat cura ut Southwello frustulum mucidi panis, & aquæ scyphum in sporta demitteret. Cum nullas ejus querelas, ut vulgus reorum solet, ac ne gemitum quidem exaudiret, incessit cupido propius observandi quid rerum ageret. Ergo ad illud antrum tenebrosissimum, admoto clam lumine, improvisus adest. Videt jacentem ore tranquillo ac sereno; blandè reidentibus oculis; toto corpore tam singularem spirante modestiam, ut ea specie raptus in admirationem virtutis, victum liberalius deinceps indulserit; culcitam intromiserit; lampadem, focolum, libros, & alia id genus fomenta, subministrari passus sit. Adeo suaves illecebras, vel in hoste posita, virtus habet!

* Sap. X.

* Gen. X.

Petierat Southwellus à Cecilio, ut sibi vel mori, vel objecta purgare crimina liceret; promiseratque Cecilius ipsum necis, quam ambiret, compotem brevi fore. Igitur VI. Nonas Martii, sive, ut Angli numerant, IX. Kal. ejusdem mensis anni MDXCV. conveniunt iudices, Joanne Poppamo consilii principe. Is primò Decretum recitari jussit, quo sibi extraordinarium hoc iudicium demandabatur: deinde protulit sancitas à Regina leges quarum æquitatem pluribus verbis demonstrare conatus est: demum rogavit ut ante ceteras perduellium causas, Jesuitarum causa dijudicaretur, quos omnium seditionum domesticarum, ex quo pedem in Angliam intulerant, imò bellorum externorum, unos auctores & architectos fuisse contendebat. Sub hæc advocatus regius Cookius porrigit libellum, quo totius accusationis capita continebantur. Libelli summa hæc erat: *Robertum Southwellum natum in Anglia, factum & ordinatum fuisse sacerdotem, per auctoritatem derivatam & præsentiam à Sede Romana. Apud Uxenden, in Comitatu Middlesex, proditorie, & ut proditorem Regina, fuisse & remansisse, contra formam Statuti in ejusmodi casu editi, & contra pacem dictæ dominæ Regina, coronam & dignitates.* Libello recitato, secessère iudices deliberandi causa: dixit testimonium in Southwellum Anna Bellamæa, cujus indicio detectus fuerat: ipse demum adducitur & objecta sibi crimina audire jussus, fatetur se catholicum sacerdotem: Uxendenii fuisse non negat: sed proditorem ullam in regnum reginamve tentatam à se aliquando, vel commissam, pernegat; Deumque, nisi loquatur vera, testem ac vindicem sanctè appellat. Tum Poppamus, Diserte respondeas oportet, inquit, reusne sis an non. Et ille: Non sum proditorem reus. Cum adigeretur, ut vellet ejus rei iudicium Deo patriæque permittere, respondit, se injustis legibus justè judicari non posse: tamen, quando ita vellent, non recusare Dei patriæque iudicium: viderent modo ne quid in Divinas peccarent leges.

Leçti subinde iudices duodecim (Juratos vocant) qui decretoriam sententiam dicerent. In illorum confesso exposita & explicata rursùm à Cookio causa; & crimen aliquod proditorem aut violatæ majestatis, quo sententia niteretur, quaesitum: hoc enim Angli magno fugiebant opere, ne propter catholicam religionem illata mors cuiquam diceretur. In eo igitur capite laboratum est, ut Southwellus proditor, & læsæ majestatis reus videretur. Petebant cur in Angliam

6.

Producitur in iudicium, & capitis damnatur.

sacramenta catholicis ministratum venisset, vetantibus id regni legibus? Respondebat; itidem ut Apostoli, verbum Dei predicare similiter vetiti, magis oportere Deo, quam hominibus, obedire *. Rogabant ecquid meminisset Divinae vocis, quae sunt Caesaris reddere Caesari iubentis? Eadem voce percipi dicebat ut quae sunt Dei, Deo redhibeantur. * Idola secum detulisse Topcliffus affirmavit (sacras imagines ita per incitiam vocabat.) Negavit, & futilem accusationem neglexit. At hoc certè non inficiaberis, subdidit Cookius, te auctorem fuisse Annæ Bellamæ ut, si quaeretur ex ea num domi suæ sacerdos celaretur, quem ibi occultatum sciret, id pernegaret. Ad hæc Southvellus de mendacio, quod nunquam est licitum; de veritate, quam interdum celare fas est, breviter & appositè disseruit: mox Cookium intuens, Quæso, inquit, si Regina (quod averrant Superi) bello victa & fugere coacta, in latebras se abdidisset tibi notas uni, & à te quispiam sciscitaretur ubi lateret; quid ageres? Sileres? at Reginam silentio isto proderes. Negares igitur scire te, ubi esset abdita. Cookius inexpectata interrogatione conturbatus, hæsit. Alia ejus generis objiciebant nonnulla, quæ cum facile dissolveret, furebant obmutescere coacti. Eò crimen igitur omne recidebat, quod contra editum fecisset, quo vetitum erat ne Angli sacerdotio initiarentur auctoritate Romani Pontificis; aut post illud susceptum, in Anglia morarentur. Ea duo ad crimen proditoris & majestatis pertinere judicatum fuit; ac Southvellus perduellionis reus à Duodecim-viris est pronunciat. Postulante regio advocato ut ferretur sententia, rogatus Pater, pro gentis more, numquid haberet præterea quod pro se diceret: Hoc unum, inquit, ut ignoscat iis Deus, quicumque mihi necem moliantur. Quid enim aliud apud eos loqueretur, qui declinaverant oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum *? Sic in Southvellum sententiam capitis Poppianus dixit: hanc sacerdos innocens, ut votorum summam, accepit incredibilem perfusus gaudio, quod in ore atque oculis eminebat.

* Dan. XIII.

7.
Raptatur ad patibulum, & suspenditur.

Postero die, quinto Non. Mart. anni MDXCV, custodi carceris supremam illi lucem adesse nuncianti, capitis tegmen munusculi loco dedit: quod ille tanquam rem sacram & retinuit, & ut amitteret quovis oblato pretio nunquam adduci potuit: imo, cum ad patibulum raptandus esset, suum crati vimineæ instravit pallium, virtutis veneratione. Ad hunc modum, spectante ac mirante populo, qui tota ex urbe confluerat, in fordida crate, tanquam in triumphali curru, nobilis Christi athleta vectus est ad Tiburnum (id plateæ nomen, ubi de fontibus fumitur publicè supplicium) obrutu sereno cælum suspiciens, & has identidem mittens voces: *Deus præpotens, tali me honore non dignor.*

Ut in conspectu Tiburni fuit, eminus patibulum, vultu ad lætitiæ exporrecto, salutavit. Ab crate subvectus in plaustrum, inde ad populum verba fecit, argumento dicendi sumpto ab his Pauli vocibus, *sive vivimus, Deo vivimus; sive morimur, Domino morimur* *. Cum interpellans licitor juberet longam orationem præcidere, moneretque veniam duntaxat à Deo & Regina postulandam, professus est nihil proditoris admittum, cur veniam à Regina peteret; ac porò pergens, Ecclesiæ Romanæ sacerdotem, & Societatis Jesu alumnum se esse declaravit. Mox fausta omnia Reginae, patriæ carissimæ, civibus suis precatus, omnes, qui sacro quodam silentio defixi audiebant, ad catholicam fidem amplectendam est cohortatus. Dum laqueus collo inferitur, beatissimam Virginem sanctosque auxilio vocare, salutari signo crucis frontem pectusque munire, ac piis precationibus extrema vitæ momenta consecrare non destitit. Subducto plaustro aliquandiu pendit. Dereptum è patibulo cadaver, quadrifariam, ut mos est, dissectum, & pro urbis portis affixum.

* Rom. XIV.

8.
Ejus vitæ virtutumque summa.

Annos quatuor ac triginta confecerat, quorum septem ac decem exegerat in Societate. Natus in pago S. Fidei, haud procul Norvico, & anno ætatis XV. Parisios missus, Societatem ibi nosse primum atque amare cœpit. Hanc ut facilius obtineret, contendit Romam, ibique tirocinium, annos decem & octo natus posuit, non totum, propter æstuosi cæli gravitatem ipsius valetudini adversam: partem in Belgio transiegit. Confirmata valetudine, Romam repetens, theologia

giæ operam dedit. Anno demum MDLXXXVI. rediit in Angliam, eodem celesti succensus igne, quo flagrabat martyr Ignatius, cum paratos sibi leonum ritus ad eum non extimescebat, ut etiam irritaturum se & instigaturum dicitaret. Exstat hic ejus animus, periculis omnibus & morte ipsa major, in epistola, quam ad P. Deckerium, sacerdotem è Societate scripsit XVIII. Kal. Sext. MDLXXXVI.* Non tantum docendo, administrandis sacramentis, ac ceteris evangelii prædicandi laboribus impigrè obeundis præderat popularibus suis: sed etiam utilissimis libellis, ubi quid otii dabatur, conscribendis. Videbat libros quosdam parum pudicos, erroribus etiam infectos, certissimas religionis ac morum pestes, circumferri. Hæc via nimirum celerrimè grassari solet Hæresis ad perniciem animarum. Stili suavitate delinitus lector, venenum in obliquo poculo incautus haurit. Eos ut è manibus hominum excuteret, elucubravit scripturunculas plenas pietatis, soluta vincitque numeris oratione, quanta posset maxima linguæ vernaculæ, in qua longè disertissimus erat, elegantia. Spargebantur illæ per Angliam incredibili fructu legentium, nec minori auctoris fama; quem (tameñ abesse à libris nomen) orationis lepos indicabat. Satis constat ab ipsa Regina lectas non semel ac laudatas. At scriptores pestilentium nugarum, ubi suas negligi merces viderunt, in Southvelli exitium præ ceteris conjurasse traduntur. Dici non potest quanti faceret Societatem, quanto se affectum beneficio duceret, quod vocatus à Deo, quod aggregatus ad eam fuisset. Hinc stimulos, hinc incitamenta potentissima petebat emittendi ad summas virtutes; atque ita sæpe tacitus secum: Quem te tandem esse decet, qui tanto fruaris bono? quanto Dei amore succensus, quàm beneficii memorem? Conversos in te puta mortalium oculos, qui dum te propter vitæ hujus institutum observant, à te majorem quoque solidæ virtutis fructum expectant: fac igitur illorum expectationi respondeas. Considera, quibus armatum esse virtutum præfidiis deceat Societatis Jesu alumnus, ut inter prohibitatis ac religionis hostes, inter ethnicos, barbaros, hæreticos, non modo sine clade, sed etiam cum laude victoriaque versetur: ut conjectus in vincula, raptus ad tribunalia; fame, siti, ferro tortus, tentatus illecebris, concussus terroribus, omnibus quasi telis appetitus, non frangatur tamen ac succumbat? Plurimum in sui cognitione ac despicientia temporis ponebat ac studii: nec immerito, cum ceterarum illa sit custos, & nutricula virtutum. Quo loco non pigebit ipsissima illius, quæ huc spectant, referre verba, quibus meditando & revolvendo assueverat. *Quid fui, Domine, quid sum, & quid ero? Fui nihil, nihil sum, & ero forte nihilo pejor. Sic fui, ut damnari possem: sic sum, ut salvari vix possim: ero in æternum damnatus, aut in æternum salvus. Quid fuerim scio, quod fui pessimus: quid sem nescio, quia de gratia incertus: quid futurum sim ignoro, quia de salute dubius. Quod fui, Domine, ignosce: quod sum corrige: quod ero, dirige. Dirige, inquam, à malo præterito, in bono præsentem, ad præmium futurum.*

* Recitatur, cum aliis ejusdem literis, à Tanneo, & Allegamb.

Hoc maximè modo se comparabat Southvellus ad gloriosam in Anglia mortem, quam anno tantum MDXCV. fortiter obiit. Sed ejus carcerem cum nece junximus, ut narratio non interrupta texeretur. Illi præiit anno MDXCV. P. Joannes Cornelius, quem Cornubia, extremæ ad occidentem & Austrum Angliæ provincia, ediderat, Hibernorum parentum prolem unicam: Oxonio, ejusdem Angliæ academia celeberrima, litteris Latinis, Græcis, & Hebraicis instruxerat. Oxonio Remos in Galliam profectus philosophos audiit: demum Romæ in Anglicano Seminario theologiam profanis disciplinis quasi cumulum addidit. In patriam regressus anno MDLXXXIII. hæresim ac vitia paratis usu longo armis debellare cœpit, nondum cooptatus in Societatem; quamvis eam jam tum ambiret, nostrorumque consiliis omnem vitæ suæ rationem gubernaret. Carus fuerat a prima ætate Comiti Joanni Arundelio, qui adolescentem, in re non valde lauta natum, pia liberalitate adjuvabat ut bonas artes facilius condisceret. Erat Arundelius nobilitate, opibus, ac ceteris ornamentis, nulli Anglorum secundus; in primis autem catholicæ religionis fervantissimus. Quod cum intelliçeret Elisabetha, illum cum omni familia migrare Londinam jusserrat, verita ne quid ab ho-

9.

P. Joannes Cornelius Dorcestriæ necatur.

A. C. 1594.
Soc. 55.

homine præpotente, in remotiori provincia turbarum oriretur. Ad hunc statim Cornelius Londinum venit, ejusque familiam, accepti olim beneficii memor, excolere cœpit. Inde ad quærendas animas ac sublevandas procurabat; idque tam feliciter, ut primis tribus annis trecentas amplius familias errori abstulerit. Novum hostem in Cornelio sensit Hæresis; neque contemnendum esse, tot repentinis experta damnis, intellexit. Furit igitur, & arma, lictores, exploratores expedit. Diu non sine peculiari Providentia Numinis latuit, etsi versaretur saepe in oculis amplissimæ civitatis. Satis constat irrupisse aliquando milites in viri nobilis & catholici domum, ubi sedebat in conclavi solus, nescio quid scriptitans. Videt armatam satellitum manum, nec videtur: hærent, quasi vacuo cubiculo, & circumspiciunt: ipse per medios, neque advertentes, neque moram injicientem ullam, fugit; obstupescente familia & gratulante, quæ captum jam ac perditum lugebat.

10.
Proditus à famulo incidit in satellitum manus.

Sed quid à prodicione tutum esse potest? Ejusdem familiæ Arundeliæ mediastinus, à Cornelio increpitus, objurgationem ulcisci ejus nece statuit. Latebrarum quas detexerat, facit indicium regiis administris, Georgio Trencero & Rudolpho Horfæo, Duumviris capitalibus, ex eorum numero quos vulgo *Justitarios*, sive *Irenarchas*, quasi pacis custodes & præfides, vocant Angli. Adfunt ipso Paschatis die, quo nempe sacrificium à catholico sacerdote non omittendum arbitrabantur: ante lucem multo milite domus tota cingitur. At seriùs: nam Cornelius hora post mediam noctem prima, peracto rite sacrificio dilapsus, abdiderat se in dumeta: unde in pagum vicinum profugiens, catholicos in horreum agricolæ congregatos Divinis mysteriis ac verbi cœlestis pane reficiebat. Satellitium, à proditore monitum de fuga sacerdotis, abscessit. Reversus domum sacerdos rem Divinam octavo post Paschale festum die faciebat. Miles, accepto indicio, timens ne iterum luderet operam, strictis ensibus in trepidantem familiam ante noctem involat. Orto clamore, Cornelius proripit se in paratam cryptam. Vestigantur omnes anguli; parietes perfodiuntur; evertuntur aut franguntur quæcumque suspicionem facere poterant latebrarum; sed irritò conatu. Ita enim scitè atque affabrè compactum erat latibulum, ut, nisi ab gnaro & experto non posset cognosci. Necdum se aperiebat proditor, cui data nempe fuerat fides, ipsum, nisi res cogeret, nequaquam detectum iri. Jamque furens Trencerus recedebat, nihil ex tumultu tanto præter libellos pios, ac nescio quid sacræ suppellectilis reportans, irradientibus etiam domesticis, quasi discusso periculo: cum ille sannas prosequentium non ferens, retorfit se: & arrepto, qui ceteros inter famulos velut innoxius adstabat, proditore; Agefis, inquit, latebras promissas indica. Eo duce redit; muroque perrupto, apparet Cornelius orans, genibus nixus, & inter cachinnos satellitum, inter familiæ scelesti mancipii perfidiam detestantis ejulatus, à triumphante Trencero protrahitur. Interrogatus de nomine, de vitæ instituto, de variis, quæ ipsum privatim aut catholicos spectabant, rebus, ore tam sereno, tam modesta gravitate, alia confessus est, alia reticuit, ut admirationem pariter & amorem moveret. Duo è famulis comprehensi, qui se ministerii quidpiam illi præstitisse confessi sunt. Aderat forte in corona satellitum Thomas Bosgravius, sororis Arundelii filius, cernensque Cornelium in protervo militum grege stantem capite nudato, suum ipsi petasum imposuit. Cui Trencerus: Huncine perduelli honorem habes, inquit? Bosgravius perduellem negans esse, confestim liberæ vocis mercedem tulit, captus cum aliis, & in ædes Trenceri VIII. Kal. Maias, sive, ut Angli numerant, XVIII. inde Londinum est deductus. Ibi quæstio instituitur.

11.
Admittitur in Societatem, & vota nuncupat in carcere.

Productus Cornelius sciscitantibus apud quos receptum catholicos & asylum tot annis habuisset, respondet nefas esse aperire quod innocentibus fraudi esse possit: nihilque à viro forti & prudente vel promissis, vel minis expressum aliud est. Demum interrogant, quid facturus porro foret, si Angliam invaderent Hispani: & ille; Quod à viro catholico, & Regiæ fidelissimo fieri deceret. Reductus in carcerem, tunc demum advenisse tempus credidit consequendæ, quod hactenus expetierat, & ineundæ Societatis; ut in ea si minus vivere, mori saltem posset.

set. Nec abnuvit Garnetus, & carcerem pro domo probationis habere jussit, dignum Ignatii milite tirocinium: paucisque post diebus, ibidem se religiosis votis Deo & Societati consecravit. Interim, dum causa necis capto inferendæ, dum criminis color quaritur, ille commodum oblatum est. Edictum a regio senatu contra quoslibet, ac præcipuè Societatis, sacerdotes a triennio promulgatum Perfonius refutaverat, sub nomine Andrea Philopatri *. Hujus libelli ac refutationis pagina quædam in Cornelii scrinio repertæ fuerant: satis id esse visum ut libelli auctor diceretur: eoque nomine in eum plebs Dorcestriæ, quo in oppido captus fuerat, concitata necem ipsius deposcebat. Illuc itaque remissus, postulante Mortonno qui Dorcestriæ præerat, arcessitur Majestatis, quod contra decreta regni, sacerdos cum esset, mansisset in Anglia, quod Papistica celebrasset mysteria, quod sacramenta ministrasset. Quæ confessus ultro, & capitis continuo damnatus est. Nam quod objiciebatur de libello contra senatus edictum conscripto, itemque de consuetudine parum honesta cum Dorothea virgine, Arundelii filia castissima, quam ipse ad pietatem impensius colendam adjuvabat, quæque postea Bruxellis, in cœnobio virginum Divi Benedicti profitentium instituta, consenuit, facile purgavit. Dicta est capitalis quoque sententia in famulos, qui Cornelio aliquam navarant operam: cumque ad ejus pedes venerabundi procidissent, lætitiæ hilari promentes vultu, populus à lacrymis non temperavit.

Noctem in pia precatione mutuisque cohortationibus Christiani pugiles duxere pervigilem. Sub lucem accurrit mercator dives, & grandi pecuniæ summa oblata, se vitam Cornelii non difficilè redempturum spondit. Cui Pater maximas egit gratias, & pecuniam ut in alios usus impenderet, rogavit. Pedem efferens è custodia; *Quam gloriosus est,* inquit, *à cruce ad Christum transitus!* Jacebat humi viminea crates, cui pro more impositus traheretur: illi applicuit se se alacer; ac, dum raptatur, socios qui pedites ducebantur, identidem ad constantiam accendebat; alios quosdam è circumfusa multitudine, appositis vocibus hortabatur ad complectendam Fidei veritatem. Eâdem cum illo poena, licet disparem longè ob causam, damnatus trahebatur sicarius, palam ejurans hæresim, & tanti beneficii prædicans auctorem: nam eum in carcere Cornelius expiatum Ecclesiæ conciliaverat, imitator Christi felix; quippe qui latronem quoque piura ac pœnitentem supplicii socium haberet. Hic primus in patibulum sublatus fuit; deinde Arundeliani duo famuli: successit Thomas Bosgravius; & ferali è plaufro graviter ac piè, ut erat homo nobilis nec indoctus, ad populum stupentem silentemque verba fecit. Postremus inuit certamen Cornelius, filii veluti ad triumphum præmissis, quorum pendentiū exosculatus pedes, & felicem arborem arctè complexus, *O bona Crux,* exclamavit, *diu desiderata:* tum reliquas Andrea Apostoli voces subtexit. Plura disserere veritus, quamvis plebs admurmuratione secundissima dicentem prosequeretur, hoc unum contenta voce proclamavit, se sacerdotem, deque JESU Societate esse: preces pro Regina suisque civibus addidit, & porrectum laqueum suaviatus, pependit *. Cor, cum illo intestinis, adhuc spiranti, ut quidam prodiderunt, ereptum: corpus in quatuor partes dissectum, aliquandiu fuit spectaculo: donec sub noctem terræ mandatam est, cum Bosgraviū famulorumque corporibus. Restabat caput in summo adhuc fixum patibulo: sed hinc brevi detractum, populo urgente, propter insanam vim imbrium, quæ maturis segetibus gravissimam calamitatem attulit, & ultorem innoxii sanguinis per scelus effusi Deum esse demonstravit.

Alia nonnulla referuntur è quibus intelligere liceat *pretiosam in conspectu Domini* Patris Cornelii mortem extitisse: sed nullum certius argumentum, quam ex ejusdem vita, peti debet, omnibus ornata religiosi viri virtutibus, & morti consentanea. Quaternos hebdomadæ dies vulgo jejunos transigebat: utebatur cilicio, genium tenuis promisso, tamque aspero, ut vel spectantium oculos cruciaret. Cœlestibus gaudiis inter sacrificandum sic astuebat, ut sacrificium sibi esse *instar paradisi* diceret. Repertus aliquando est animo à sensibus abstracto, & in rerum Divinarum contemplationem sic immerso, ut clamore multo ad se revocandus fuerit. Nullum periculum, facies laboris nulla, quamlibet horrida, magnanimum pectus

* *Responsio ad Edictum Regine Angliæ. Romæ 1593.*

12. *Damnatus capitis oblatum effugium refugit, & suspenditur.*

Die 3. Jul. 1594.

13. *P. Cornelii virtutes præcipuæ.*

pectus deterrebat, si qua spes alienæ salutis affulgêret. Popularis quædam lues Dorcestriam, cum ibi versaretur, invasit. Adhuc servabat hanc è ritibus catholicis populus, avitæ religionis defensor, consuetudinem, ut signo ære campano daret, quando quispiam cum proxima morte luctabatur. Eo signo admonitus Cornelius accurrebat, nec paucos in extremo illo discrimine, sempiternæ morti ereptos, Ecclesiæ caloque transcripsit: ac præsertim senem ab omnibus destitutum ob inopiam; ob squalorem & illuviem; ob fetorem immundæ casæ, quem nullæ nares perferre poterant. Subiit Pater triste tugurium, in eoque pernoctavit: audivit contentem, & catholicis procuratum carimoniis Lazarum hunc in Abraham, uti spes est, sinum dimisit. Amicum sacerdotem vis morbi opprefferat, jamque diem integrum jacuerat sermonis expertus: excitavit morientem Cornelius, eique vocis usuram tandiu reddidit, dum animæ labes confessione sacra purgaret. Sacrificanti Arundelianis in ædibus lurida quædam species objecta est medio in sacrificio. Sylvam videre videbatur undantem flammis, in eaque Joannis Sturtoni nuper demortui animam dire tortam, & miserabili ejulatu auxilium implorantem. Is Annæ Stanlæ uxoris Arundelii filius, ex priori marito susceptus, in catholica, quam profitebatur, Fide nonnunquam dissimulanda timidior, & in condemnanda etiam Scotiæ Regina adjutor existerat. Ob eas præsertim noxas, licet salutari deleras ante mortem poenitentia, graves dependere se pœnas vociferans, lugubre carmen illud identidem iterabat: *Miseremini mei, Miseremini mei*. Horrenda specie attonitus hærebat Pater: stupebat sacri minister, ex iis unus famulus, qui cum Cornelio fuere suspensi, cujus oculis obversabatur eadem imago: ceteris, qui sacrificio dabant operam, pars quædam aræ apparebat pallenti fumo suffusa. Peracta re Divina, familiam quæ octoginta facile capitum erat, coegit unum in locum Cornelius, eique rem omnem, non sine lacrymis, exposuit. Nec raro piorum animas, ad ejus opem efflagitandam emeruisse tradunt, quarum ingratiat quater singulis hebdomadis facere consueverat. Imo, ut id obiter notem, quoties abluebat manus, psalmum, qui pro defunctis vulgò recitatur, submissa voce pronunciabat; dictitans, ut manus aqua, sic animas precatione refrigerari ac purgari. At ejus conspectum occursumque Tartarea monstra fugiebant, quæ illius nomen hæreticis primò ediderunt, cum obsessis corporibus, victa ejus precibus & pulsa decederent. Aiunt unum ex istis inferorum malis hospitibus, cum de possessione dejiceretur invitus, restem illi, qua post annum è patibulo penderet, interminatum esse, & festidios duos, quibus hanc emeret, per jocum minime mendacem, obtulisse; sive præsciis futuri eventus; sive illius jam tum, Deo permittente, machinator. Cum plurimum in altero ejiciendo laborasset, neque occupata domo pelli tristis inquilinus posset, fertur Deum orasse inter sacrificandum, ut *deleteretur potius de libro vita*, quàm Ecclesiæ potestas & catholica veritas Fidei propterea in dubium veniret: qua prece debellatus hostis erupit, se Cornelii caritate deturbatum exclamans.

14.
P. Joannes Gerardius Londini capitur.

Sic in P. Cornelium cruce ac ferro sævitum: in alios è Societate sacerdotes, hoc quidem anno MDXCIV. edictis duntaxat, carceribus, & probris. Deprehensus tandem fuit qui exploratorum insidias non semel per annos admodum sex eluserat, Joannes Gerardius, quem vulgò Tomsonum vocabant: animarum venator sagacissimus, sive diris luporum faucibus eripiendæ essent, sive inter eorundem hiantes rictus, innocentes victimæ confirmandæ, & equuleis patibulisque præparandæ. Angliam, ubi Fidem à parentibus, doctrinam à magistris non vulgare hauserat, deserere coactus, quia communionis sacramentum sumere de profana Calvinistæ manu recusaret, venerat Remos; ubi consilium incunda Societatis cepit. Inde Rotomagum profectus ad P. Robertum Personium, quo sequestro compotem se voti facilius futurum confidebat, eodem auctore in patriam rediit, ad componendam rem domesticam; ut iis vinculis exsolutus liberiolem Christo servitutem serviret. Rebus è sententia compositis, repetebat Galliam, cum sædæ tempestate in Anglicum littus rejicitur. Se professus ultrò catholicum, traditur Anglo nobili, avunculo suo, qui constantiam adolescentis infringeret; sed ab eo nunquam adduci potuit, uti vel semel in hæreticorum templum pedem inferret.

Hoc

Hoc idem, sed frustra, tentavit Londinensis pseudo-episcopus. Itaque abreptus in custodiam, mox ad judicium tribunal bis productus, cum de Fidei constantia dimoveri non posset, grandi pecunia & perpetuo carcere multatur.

Annus abierat, cum potentium amicorum ope, vinculis ea lege fuit emissus, ut vadem daret, qui iudicibus ipsum, quandocumque videretur, sisteret. Oblatus est id qui sponderet, vir apprime catholicus, apud quem moratus aliquandiu Gerardius fugam, illo annuente, captavit, ac Romam in Seminarium Anglorum, inde in Societatem, transivit*. Nec ita multo post in Angliam ab Aquaviva remeare iussus, Londinum, Deo quasi manu illum inter satellitum excubias deducente, pervenit. Ibi obvium habuit amicum senem, virum optimum, cujus indicio contulit se ad dynasten catholicum; apud quem per sex admodum annos ita latuit, ut se in omnem vicinam regionem effunderet, ubicumque catholicorum utilitas ejus opem postulasset. Ac foris quidem omnia satis fere tuta; domi non item.

Ternis ferè in ædibus per vices degebat, unis Londini, ruri aliis, quæ omnes ad catholicum hunc nobilem pertinebant. In ingenti familia nihil æquum timendum est atque ipsi famuli, quorum opera ut semper est necessaria, sic temporibus malis est periculosissima. Id non nesciens Gerardius cavebat in primis ne cui servo vel minimam suspicandi quis esset ansam daret. Honor illi haberi solitus ab hospite catholico, ejus diligentiam & cautionem sefellit. Latebat inter servitia perfidum caput, venalem animam ore blando regens & officiosa sedulitate. Inhiabat jamdudum herili auro, cujus partem ad se derivandam non ignorabat, si dominum ad iudices deferret occultati sacerdotis reum: quod crimen capitale, ac delatoribus quæstuosum. Hunc vero sacerdotem esse sibi omnino persuaserat, quem coli tam religiosè, ac lares mutare trepidè anxieque cernebat. Adit Yungum, e rerum capitalium iudicibus unum, & catholici nominis atrocissimum vexatorem: huic suas suspiciones aperit, & Gerardium certa die, ut audierat, domi adfuturum monet. Sed propitio factum Numine est, ut Patri facultas veniendi non foret. Arrepti quatuor catholici per immisos satellites, ac tetrum in morem excruciat, ut indicarent ubi delitesceret, constantissima pietate siluerunt. Instat proditor, & rusticanas ædes lustrari jubet. Lustrantur, excutiuntur, ubique perfodiuntur. Neque illic Gerardius tunc noster erat. Deponit in ejus hospitem elusus impiorum furor: comprehendunt illum tanquam catholicorum receptatorem. Abducitur Londinum, solus, egens, fortunis spoliatus: datum beneficii loco, ut unum servaret sibi famulum: retinuit eum ipsum, cujus proditione ac perfidia peribat. Ille tanto crudeliùs nocens, quanto occultius, e litteris herilibus, quas tanquam vetus & spectatæ fidei mancipium, deferebat, cognoscit Patrem secunda Paschatis feria condixisse certam, in domum, ut sacrâ litaret hostiâ. Jamque ad aram procedebat, cum auditus clamor militum irruentium, eundem coegit abdere se in latebras. Eæ binæ erant: major altera, semper instructa vino & pane: altera minor; incommoda, hisque præsidii destituta: in hanc, Deo sic providente, se projicit. Ejus aditus erat in suprema domus contignatione, in vacuo & patente cubiculo, sub foculo camini, lignis & cineribus ad fallendum cooperto. Satelles malleis vestibusque ferreis omnes ædium sinus explorat, adhibet etiam tintinnabula, ut æs campanum pavimentis & parietibus admotum, sono variante, indicaret si quid excavatum & non solidum foret. Incassum artes & molimina cecidere toto triduo.

Defessi furentesque, dominam ædium, ut hospitam sacerdotis, avehere in carcerem parant. Illa proditori famulo, quem fidissimum rebatur, in aurem insurrat, quo in conclavi lateat Pater: ejus ut absente se curam gerat, etiam atque etiam obtestatur ac præcipit: & facturum se vir bonus omnino pollicetur. Ignorabat tamen aditum osque latibuli. Satis interim sibi esse ratus, quod cubiculum nosset, satellites clam revocat, affirmans jam sibi notas feræ latebras. Redeunt: rimantur & pervertunt cubiculum. Die per hunc laborem consumpto, pernoctare ibidem statuunt, neque ante discedere, quàm lapides omnes singillatim loco suo moverint. Porrò caminum, & ligna conspicati, ignem subjiciunt.

* Anno 1588.

15.

Proditus à famulo diligentia satellitum in latebris aliquandiu eludit.

De se confabulantes audiebat Gerardius, ipsi propemodum suppositus foco; contractus, ut antri cogebant angustia, & immotus. Famem & sitim jam à diebus quatuor tolerabat. Illi tamen certum erat potius emori, quam carissimis hospitibus detrimenti quidpiam afferre. Exustis lignis, calidus per rimas laterculorum, quibus stratum foci pavementum erat, cinis depluebat in caput humerosque Gerardii: rimas animadvertit miles, & rem prima luce, postquam somno paulisper indulisset, examinare constituit. Vix illuxerat, relictis satellites in inferiori contignatione, malleos & ferramenta rursus per domum totam vagantes exercebant, cum in majus illud antrum inciderunt vino, ut dixi, liberaliter instructum; quo dum benignè se proluunt, conclamant reperit latibulum, at vacuum: evasisse prædam. Exciti qui fatale cubiculum obtinebant, descendunt; & obliti rimas ac focum explorare, addunt se sociis potantibus, & ovantes pastique discedunt. Enimvero ringi proditor, ac tacitus disrupti. Prodit ex antro suo semianimis, ac semiustulatus sacerdos: cibo refectus, illico avolat. Accurrens ore ad lætitiæ composito furcifer servus gratulatur, simulque proficiscentem Londinum cautè, ac velut aliud agens, secutus, ædes hæretici cauponis, quas Gerardius ingrediebat, observat; conclave, lectos, & alia id genus vasè notat. Compertis omnibus, arcessit satellites, à quibus Pater est comprehensus. Ferreis onustus manicis rapitur in jus, ultroque se sacerdotem Societatis Jesu constitetur. Paucis diebus interjectis iterum ab Yungo & Topclisso interrogatur. Admiratiōni constantia, contemptorque mortis animus fuit. Ex horrido ac foetido carcere, in quo tres menses hæsit fame, ferro, squalore exanimatus, ad mitiorem translatus est, amicorum deprecatione, atque adeo pecuniâ, que carcerum ferratos postes amat percurrere. Ex illo tamen ac postmodum Anglia tota incolumis excessit, ut postea referemus. *

* *Infra, n. 26.*

16.

Famosus liber falsò attributus P. Roberto Personio. Ejus in honore fugiendo modestia.

Personium non lenius profecto tractassent, si hominem habuissent in potestate. Cum ille rem catholicam, non modo erigendis ubique ac stabiliendis Anglorum Seminariis adjuvaret, verum etiam lubricationibus piè doctèque scribendis; ipsi attributus est scriptoris ignoti, qui se Robertum Dolemanum nominabat, liber, Essexio Comiti nuncupatus, in quo agebatur de jure quod in regnum Angliæ futurum esset variis Europæ principibus, post Elisabethæ obitum. Argumentum hæreticis majoris Britannia, juxta & catholicis, odiosum. Hunc infelicem fetum sibi à Personio suppositum existimans Albanus Doleman, sacerdos Anglus, cum palam calumniatorem, proditorem patriæ, sycophantam impudentissimum appellabat, approbante passim populo, & eadem convicia ingerente: Credibile vero est hujus libelli auctorem, quisquis ille demum fuit, non tam certi hominis nomen voluisse sibi adsciscere, quam Anglicæ vocis *Doleman* spectasse significationem. Hæc enim apud Anglos distributorem ac diviorem sonat: eoque in libro sua singulis principibus in Angliæ regnum jura quasi tribuebantur & assignabantur. Non desuere qui hoc opusculum ascriberent, alii Alano Cardinali, alii Inglefieldo, nobili Anglo. Minime omnium quidem certè Personio conveniebat, qui tam lubricum & invidiosum tractare argumentum, homo sapiens & consideratus noluisse: nec attingere ausus esset vetitum nostris legibus, in Congregatione Generali quinta nuper confirmatis. Longè aliter, atque Anglia, de Personio Roma existimabat; quem hoc eodem anno MDXCIV. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ purpuratis Patribus addendum fama tulit; & in locum Alani Cardinalis Angli paulo ante extincti sufficiens, ut patriæ ob religionem vexatæ causam Romæ fulciret; gratus videlicet Philippo regi Catholico, popularibus acceptus pietate, facundia, prudentia pollens. Simul atque hoc innotuit Patribus Societatis, eò consilia rationesque suas omnes contulerunt, ut rem disturbarent: statimque Manareus Provincialis in Belgio, ubi Angli catholici plurimum degebant, certiolem de re tota Aquavivam fecit: & Personium graviter est adhortatus, ut *Orbi testatam faceret integritatem suam, ac fidem erga Societatem*. Quod egregiè Personius præstitit, ut apparet ex ejus litteris, tum ad Manareum, tum ad Præpositum Generalem scriptis*: necnon ad Franciscum Inglefieldum, qui gratulatus ipsi honore tanto jam erat. Præterea diligenter egit cum Joanne

* *Eas recitat P. Henric. Morus lib. VI. n. 4. & 5.*

Idia-

Idiaquezio Philippi administro, ut Regem ab ea mente penitus avocaret; eique Anglos alios huic dignitati pares & idoneos suggerit, Josephum Cresyvellum, qui Madriti curabat Anglorum negotia; Franciscum Inglefieldum, Thomam Stapletonum; omnes doctrina, probitate, fide in Regem conspicuos. Sed nullus intentiore cura in hoc negotium incubuit, quàm Præpositus Societatis, qui Clementem enixè deprecatus procellam impendentem planè discussit.

Quàm acer ac diligens Personius in honore detestando fuit; tam promptus & alacer exstitit P. Henricus Walpolus ad ambiendam & obeundam necem. In Norfolkia, Angliæ provincia, patre catholico & nobili genitus, mitiora litterarum humaniorum, & asperiora Dialecticæ studia degustaverat Cantabrigiæ: animus deinde ad Anglicum jus legesque perdiscendas adjunxerat Londini. Sed multo majorem curam adhibuit in cognoscenda penitus religione catholica, & iis doctrinæ capitibus percipiendis, quæ à veritatis hostibus in controversiam vocantur. Quo in studio magnos brevi progressus fecit: utque ad intelligendum erat perspicax, ad instandum acer, ad religionem tutandam inflammatus, disputare militariter in circulis, pertinaces revincere, urgere victos, & jugo Fidei subdere vel reluctantes cœpit. Sic ferme vicenos è patria nobilitate in ditionem Ecclesiæ reduxit, quorum alii ad Seminaria profecti, alii strictiorem vivendi rationem secuti, alii domi *fortes in Fide* veritatem, quam ejus hortatu amplexi erant, tutati sunt. Plus habuit negotii cum uno è suis propinquis Eduardo Walpolo, eximie indolis adolescente, qui non solum obfirmatus erat in errore, sed etiam hæreseos arma tractare didicerat à parente suo, Puritanorum, hoc est purioris in Anglia Calvinismi patronorum, antesignano. Adolescentis pertinaciam Henricus Walpolus biennio toto sic agitavit, sic omnibus telis impugnavit, ut expugnaverit denique. Rem ægerimè tulit Eduardi pater, adeo ut apud senatum regium graviter questus, Henrico Walpolo diem dixerit tanquam perduellionis reo, & eum latebras captare coegerit. Dum interim filium suum miserè depravatum, ut aiebat, collectis undique doctoribus retrahere nititur ad hæresim, eundem confirmavit in catholica veritate: imo ejus præconem fecit. Is enim in Societatem nostram adscriptus, & ad populares suos regressus, religionem strenuè per annos quadraginta * propugnavit. Præter hanc ereptam hæresi ab Henrico Walpolo prædam, accendebat alia Regiæ satellites in illum causa, quod in laudem P. Campiani scripsisse jaçtaretur quoddam Anglicum carmen. Quippe adfuerat cum interrogaretur à judicibus Campianus, cum disputaret, cum torque-retur; & egregiam viri eruditionem in refutandis errorum magistris, in cruciatibus perferendis fortitudinem, in subeunda morte constantiam suspexerat: eamque jam tum statuerat imitari, postquam necessaria litterarum ac virtutum præsidia comparasset; perire sic dulce ac decorum putans, modo similiter triumpharet. Eo consilio trajecit in Galliam, & Remis in Anglorum Seminario theologiae operam dedit: inde Romam petens, & aliquandiu in Anglicano collegio demoratus, inivit Societatem pridie Nonas Febr. anni MDLXXXIV. ætatis quintum ac vigesimum emensus. Primum tirocinii tempus Romæ, reliquum valetudinis causa Viroduni exegit; curriculum theologicum Remis inchoatum absolvit Mussiponti, ac Lutetiæ initiatus sacerdotio, destinatus est juvandis in Belgio Alexandri Farnesii Ducis Parmensis militibus. Ibi curas apostolicas in Anglos, Italos, Hispanos, Gallos, aliosque divisit, unus multis sacerdotibus par, ob linguarum quinque, quas callebat, notitiam. Dum ultro citroque commeat, incidit in Anglorum manus, qui perduellibus Batavis adversus Philippum II. Regem Catholicum favebant, & Flessingam ab iis perductus, ut anno MDLXXXIX. * memoratum est, quinque ferè mensibus durissimi carceris acerbiter pertulit.

Orta inter Anglos à quibus fuerat captus rixa, aliis non leve lucrum ex ejus capitis pretio sperantibus, aliis abducendum in Angliam contententibus; nonnulli, ad componendum facilius jurgium, eundem clam tollere de medio decreverunt: utque res certius conficeretur, hominem facinorosum eodem conclusum carcere inducunt, ut dormientem jugulet, citra clamorem ac tumultum; spargatque famam, ipsam sibi violentas manus attulisse. Quod cum Henrico sub-

A. C. 1595.
Soc. 56.

17.
P. Henrici
VValpoli nata-
les, adolescen-
tia, ingressus in
Societatem.

*Obiit anno 1637.

*Par. V. Lib. IX.
num. 118.

18.
Conjectus in
carcerem ab An-
gulis, liberatur à
fratre.

lisset, vigilare multas continenter noctes coactus est, tanto labore atque ærumna, ut mortem quamlibet hac perenni vigilia sibi deinde diceret futuram fuisse, leviozem. Suscepta videlicet contra somnum, hostem necessarium & intestinum, pugna erat gravior, quam contra inedia, frigus, solitudinem carceris & fetorem, quibuscum assidue consuebat. Instabat diu noctuque additus lateri scarius cum expedito pugione, quem in Walpoli pectus adigeret, si demitteret oculos, si paulisper dormitaret. Perstabat ille contra vigil, experrectus, movens jactansque se totam noctem, ne quam somni suspicionem præberet. Jam ipsum vires exhaustæ vigilando deficiebant, cum ejus frater Christophorus Walpolus, de fraterno carcere admonitus, Fleffingam accurrit ex Anglia, nomine dissimulato, quasi stipendia voluntaria facturus in cohorte Walsingami, qui Fleffingano præsidio tunc præerat. Hæsit aliquandiu fratris amantissimi primo aspectu, atque adeo mirabili patientia stupefactus, vixque lacrymas & gemitus, quos naturæ vis arcana eliciebat, repressit. Suavissimè velut amicum veterem complectitur; cibum subministrat; somnum, amoto scario; & cum somno vitam reducit: ut liberalius à centurione carceris præfecto habeatur, obtinet; denique pretio repenso carissimum germanum in libertatem vindicat. Sed mansit in ejus mente fraternæ virtutis tam altè defixa species, ut eam excutere non posset. Mirabatur, quem ingenii præservidi ac ferocioris naturæ olim noverat, hunc adeo mitem, adeo placidum, adeo sui tot in molestiis, in tanta rerum omnium & commodorum penuria, compotem & securum. Recursabat animo illa rerum humanarum deficiencia, illa perferendorum pro Christo laborum sitis. Fraterna consequi vestigia statuit, easdemque virtutes ut in eadem schola perdiceret, ad Societatem se aggregavit anno MDXCII. in qua per annos quatuordecim cœlestem scientiam non didicit modo, sed alios etiam docuit*. Redditus sibi ac Societati Henricus noster, & suam hanc veluti secundam vitam ejus auctori præpotenti Deo perfectius consecrare gestiens, Bruxellas incunte anno MDXC. & consueta munia, majori alacritate repetiit. Tornaci tertium subinde probationis, quem vocamus, annum peregit; ubi pristinum ardorem continua cœlestium rerum meditatione vehementius accendit: statimque Brugas reversus, conceptum pietatis ignem in Anglos & Scotos, qui frequentes ibi erant, sparsit. Sed angustiis unius urbis confictus ingens animus astuabat, evolare in Angliam cupiens, & laboriosæ missionis ærumnas ac patibula suspirans, suis se cruciabat pascibatque votis, nutum tamen moderatorum & occasionem fortunatam opperiens. Hæc præter spem oblata se fuit. Expetierat Personius ejus operam ad augenda & firmanda tum pietate tum litteris Anglica, quæ per Hispaniam florebat, Seminaria; ejusque industriam & virtutem Hispali ac Vallisoleti feliciter adhibuerat; quando periclitari graviter Anglorum in Belgio Seminarium audivit, nuperrime conditum in oppido S. Audomari. Census illi attributos regii per Belgium administri conferre cunctabantur, brevique contubernium illud, jam Anglica refertum nobilitate; convellendum ac disturbandum videbatur. Quærenti Personio chinam hoc difficillimum negotium committeret, visus est Henricus Walpolus unus omnium ad eam rem aptissimus. Madritum igitur missus novas à Rege Catholico litteras obtinet; eas desert in Belgium; destinata Seminario veftigalia suppeditantur; moræ omnes & impedimenta perumpuntur, summa Personii voluptate, majore ipsius Henrici; qui rei prudenter gestæ præmium unicum postulavit à Personio & impetravit, facultatem in Angliam transmittendi.

* Mortuus Vallisoleti anno 1606.

19.
Repetit Angliam, eamque vix ingressus, iterum capitur.

Non hibernis, quæ infestum habebant mare, procellis; non pestilentia, quæ Londinum peregrinis clauderat, metu retardari potuit, quin primam navigandi occasionem arriperet. Tres in Dunkercano portu stabant naves ad belli usum paratæ, & satis firmæ: accingebant se nautæ ad lustrandam Angliæ maritimam oram, prædæ studio. Ita contemptrix periculorum ac tempestatum avaritia suadebat. Cum eorum uno paciscitur Walpolus ea lege, ut se in desertum litus aliquod exponat. Expositus pridie Non. Decembris anni MDXCIII. in vicis mari vicinos processit, cum Anglo ignoto; qui suspicatus sacerdotem, indicium magistratui fecit. Monitus Comes Huntingtonus provinciæ præfectus & catholicorum pro-

professus hostis, illum in diversorio nec opinantem invadit, ac triduo post Eboracum ducit. Eboraci conditus in teterrimum ergastulum, ibi perstitit usque ad exeuntem anni MDXCIV. Februarium: neque tamen ita obstructas omnes custodia seras habuit, quin ex ea quædam ejus ad amicos litteræ proreperint, præsertim ad P. Richardum Holtbeyum: è quibus comperta magnam partem sunt quæ de ipso narrabimus. Postquam Londini cognitum fuit quis esset, quemadmodum è Belgio in Hispaniam allegatus, in Madritensem admissus aulam, cum regis administris collocutus; enimvero suspicati sunt arcana, in Angliæ perniciem, mandata illi negotia fuisse: quæ ut expiscarentur, summum in cruciandi catholicos arte Topcliffum elegerunt. Antequam homini barbaro torquendus dederetur, effugii spem & copiam amici obtulere. Walpolum ancipitem gemina cogitatio & cupiditas trahebat in contrarias partes; hinc sanguinis Fidei causa profundendi; inde patriam adjuvandi, servatâ, quæ suppeteret in labores longos utileque, vitâ. Hinc videbatur illorum, quos vitæ suæ arbitros habebat, voluntas innuere ut viveret: inde Numinis gloria & providentia ut moreretur imperare. Hæsitanti placuit consulere P. Richardum Holtbeyum. Ad eum scribit, seque permittit ipsi totum; paratus in utrumque, seu vivere seu mori jubeat. Richardus, consulto diligenter Deo, respondit videri sibi fugæ consilio profusè abstinendum; ne, quam habebat in manibus, martyrii palmam amitteret, neve proderet exemplum ovibus Christi perniciosum. Si consilium fugæ non succederet, multum probri ac detrimenti fore: si succederet è sententia, nihilominus additum iri stimulos vexatoribus catholicorum, ad augendam investigandi diligentiam, & immanitatem sæviendi. Hoc responsum, velut oraculum divinitus editum, Walpolus excepit: se ita quidem censuisse dicitans, amicorum tamen precibus dedisse ut alienam sententiam exquireret; qua percepta fidentius libentiusque moreretur.

Interea Topcliffus custodiam ingressus, à Walpolo blande percontatur unde venerit, ubi versatus sit, qua itineris causa Belgici, quæ Hispani. Respondet ad omnia fidenter Walpolus & candide. Speravit Topcliffus inusitatis cruciatibus posse aliud extundi. Ergo Walpolum Eboraco Londinum transfert, omnibus, quas itinere bene longo prætervolabat, urbibus, tanquam proditorem & sicarium ad necandam Reginam submissum ostentans, ac populi concurrentis maledictis opprobriisque lacerandum objiciens; donec ipse artus innocentissimos omnium tormentorum genere laniaret. Nec diu voluptate crudeli caruit. Cum tamen illum cruciatuum acerbitate, fame, ac frigore videret emori, nonnihil stramenti per noctem indulsit; misericordia motus, an potius ingenio crudelitatis? ut haberet annum ad iterandos cruciatus integrum. Et habuit: nec tamen exprimere quidquam unquam potuit, quo vel ipsum fontem probaret, vel resciret catholicos cum eodem amicitia, contubernio, & sacrorum communione conjunctos. Quibus maxime modis tortus à scelesto carnifice fuerit, exploratum non est: quater ac decies cruciatum se fuisse palam ipse in judicio affirmavit: apparetque ipsum sæpius suspensio è pollicibus corpore pependisse, quia pollices, quoad vixit, mancos distortosque habuit. Ceterum cum frangi suppliciorum diritate constantia virilis animi non posset, instarentque vomiticia Eboracensis provinciæ, reductus eodem fuit circiter Idus Martias anni MDXCV. majori apparatu condemnandus, ad incutiendum catholicis terrorem; quorum in dies augeri numerum & animos crescere dolebant. Ineunte Aprili productus in confessum judicum, qui Londino delecti advenerant, compedibus ferreis onustus ac manicis, & inter facinorosos complures medius, interrogatur solenni formula, & nomen edere, patriam, genus, jubetur. Ad singula priusquam responderet, signum crucis à fronte ad pectus humerosque produxit, fremente coetu hæretico, & innocentia religiosa fiducia admirante. Dein recitata sunt quæ imponebantur illi crimina, quod sacerdotio esset initiatus Romano ritu; quod in Angliam regressus; quod regni proditor ac perduellis. Hoc vero ultimum cum pernegaret, dicta nihilominus in eum sententia est, tanquam proditoris ac perduellionis convictum. Caput accusationis erat, quod Societatis alumnus, & Ecclesiæ Romanæ sacerdos, rediisset in regnum, lege id ne fieret vetante, nisi quis intra triduum alicui legitimo

20.
Londinum ductus dire torquetur. Reductus Eboracum damnatur.

gitimo iudici se sisteret. Atqui, subjecit Walpolus, contra legem hanc à me nihil peccatum fuit, qui primo die proditus captusque sum. Obmutuit, qui iudicio præerat, Belmontius; & coronæ circumstantis risus promptam Henrici responsum laudavit. Tum Elvinus iudicium unus, ut nodum solveret, quo sodales suos implicatos & sane conturbatos mussare inter se se aspicebat; Bene est, inquit; legis beneficio te defendis, Walpole: gratulor, & eodem in tuam gratiam uti volo: per me, perque istos, non stabit quin vivas, si modo Regina in sacris rebus principatum, ut lex imperat, agnoscis. Cui Pater: Prohibeant Superi ne huic vestræ legi morem geram, qua Dei Majestas lexque sanctissima proculcatur. Nec plura: capitis illicò damnatus, ad carcerem, quia dies inclinabat in vesperam, reducitur, obvios quoslibet humanissimè compellans, & eam ore toto spirans lætitiâ, quæ datum beneficium, non irrogatum supplicium, ostenderet. Litteras etiam misit domum, rogans ut patrimonii sibi, tanquam primogenito, debiti pars seponeretur, inter suos custodes, lectores, tortoresque dividenda.

21.
Suspenditur &
evisceratur.

Advenerat faustus, ac dudum expetitus dies quintusdecimus Kalend. Maias. Imponitur vimineæ crati, raptandus ad patibulum, cum Alexandro Raulino, sacerdote Oxoniensi, qui nostris in Seminariis olim institutus, pari iudicio parem ob causam damnatus, & priore loco necatus est. Spectavit pendentem Walpolus, evisceratum, dissectum, non sicis modo sed lætis etiam oculis: jamque laqueum stringere ac osculari cœperat, cum populi subitus erupit clamor, obsecrantis ut sibi, ut vitæ consulere aliquando vellet, reginamque Anglicanæ caput Ecclesiæ profiteri. Vocem impiam execratus, facturum se negavit. Oratus saltem ut suas cum ipsis conjungeret preces, respondit precari se quidem pro omnibus, atque adeo pro illis, quibus acceptam ferebat necem: quominus vero cum ipsis jungeret preces, religione impediri. Et porrecta manu, quantum vincula sinebant, Vos, inquit, quicumque adestis catholicæ religionis cultores, mecum ac pro me, quæso, precamini, & pro communi Fide morientem votis communibus adjuvate. Tum oculis, & quoad poterat, manibus in cælum erectis, orationem Dominicam voce contenta recitavit. Angelicam addebat salutationem, cum iratus carnefex, jubente magistratu, vocem ac spiritum interclusit. Cadaver solita laniena quatuor in partes divisum est, non sine populi comploratione, meliorem (tanta cæcitas erat!) tam præclaræ indoli virtutisque sortem adprecantis: quasi vitæ per annos sex & triginta, quorum fere duodecim egerat in Societate, pios interlabores & maximarum documenta virtutum decursæ, præmium illustrius tam forti & gloriosa nece, consequi potuisset. Quàm incenso studio & quare mortem potissimum optaret, ex ejus quadam scriptiuncula intelligitur. *O beatos, aiebat, aula cælestis incolas, quibus datum est ut æternas divini amoris flammæ alant, quas nec sopire intermissio, nec offensio extinguere ulla potest! Præclarum est, fateor, multa pro Christo pati, propagare illius regnum, hostes debellare, amplissimam laborum mercedem promereri: at quam durum est eundem offendere & quotidianis delictis, quibus omnino vacare mortalis nequit imbecillitas, tantam majestatem bonitatemque violare! Ego vero mallem istis carere premiis, quàm ream tot peccatorum vitam vivere. Labores non recuso, tormenta non deprecor: placet quamlibet horrida mors, quæ flagitiis meis & piaculum & finem dabit.* Hæc è multis, quæ subjungit in eandem sententiam, excerpta, satis docent quam libenter, quantâ demissione animi, quantâ caritate vitam Deo in odorem suavitatis obtulerit.

22.
P. Robertus Jones & P. Guillelmus Balduinus Angliam subeunt.

Neque illam non obtulissent ardore consimili, si Deus poposcisset, Pater Robertus Jones & P. Guillelmus Balduinus; qui eodem anno MDXCV. in Angliam solventes gravissimis periculis perfuncti sunt. Jones Salopiensis, Romæ in Societatem cooptatus anno MDLXXXII. philosophiam ibidem triennio docuerat. Postulanti Garneto, Sociorum in Anglia præfidi, concessus, post fœdissimam in ipso littore procellam dierum sex, Londinum appulit, nemine moras injiciente. Balduinus Cornubiensis, ex academia Oxoniensi Remos, conservandæ religionis studio; postea Romam profectus, decursis in Anglicano Seminario philosophiæ ac theologiæ spatii, & sacris initiatus, nomen dederat Societati anno MDXC. Missus in Belgium valetudinis causa theologiam docuerat cum P. Leonardo Lessio; & Deke-

Degerium successorem nactus, in Hispaniam ibat, ut Anglica inspiceret Seminaria. Eunti affertur esse in portu Caletensi sex adolescentes Anglos, recentes è Seminario Audomarenfi, Olisipponem primùm, deinde Hispalim, quammox vela facturos: posse, si acceleret, cum iis navigare. Invitatus ea spe accurrit Caletum; & ad fallendos, qui mare incurfabant, Anglos, nomen Octaviani Fuscinelli, cultum vero Itali mercatoris sumit. Solventes è portu Caletensi tempestas fœda excipit; & quamlibet invitos ac male metuentes, ad Angliæ littus applicat. Ad cumulum infortunii accidit, ut in duas Elisabethæ naves incurrerent. Continuo navarchus adolescentes sibi præcipuè commendatos nauticâ veste raptim induit. Balduinus conjicit se in sentinam. Prodit Angliæ ratis magister, utque à navarcho certius extendat quid prædæ portet, abducit illum in suam navim, illique dulce, sed invictum tormentum admovet, quo certissimè veritas exprimitur, vinum. Generoso delibutus mero naviculator, fatetur esse quosdam inter vectores valde sibi commendatos; ne quid iis inferatur damni, rogat. Promissis bonis oneratus redit, ac læta suis omnia tutaque renunciat. Vestem alienam adolescentes ac metum exuebant; prodierat è latebris Balduinus; cum adest Anglus explorator, & ad confabulantes juvenes cum Patre de periculo feliciter, ut putabant, discusso rectâ pergens, Balduinum, qui se Italum mercatorem ferebat, Hispano sermone compellens, esse dejerat Hispanum. Italicè respondentem, arrepto veste, ut linguam vernaculam repentinus timor eliceret, adoritur. Balduinus consilium ex re fumens, ensen vicissim arripit, ac minas Italicas reponit irato similis, rixamque ferro dirimere paranti. Qua fiducia conterritus explorator, quiritantem & contumaciter bacchantem, abducit cum adolescentibus. In iis diu hæsitatum non est: ultrò quinam essent aperuere.

De Balduino major est orta controversia, aliis eum ductorem copiarum Italum, Hispanumve, dicentibus: hanc enim speciem statura, & militaris quidam ardor præferebat. Eundem alii juvenibus moderatorem datum suspicabantur: præfectus regiæ navis, sacerdotem, & fortasse Anglum, esse certius divinabat. Quæ cum audiret Balduinus, ac porro intelligeret, nescire tamen se quid agerent simulans, Italicas voces ignaris oggerat. Ad interrogandos juvenes conversi, primùm universos, deinde singulos alloquuntur, minis ac promissis urgent; sed frustra. Ubi videt præfectus Anglus ea via nihil exculpi, Balduinum seducit; hortatur, quantum assequi & explicare nutu ac vocibus partim Anglicis, partim Italicis poterat, ut ipse verum ne dissimulet: jam adolescentum indicio comperit esse quis sit: multo mitius cum ipso actum iri, si fateatur sponte se sacerdotem Anglum esse, uti constabat. Hærare ad hæc ille, & quasi quid diceretur non caperet, aliena penitus à proposito responsa Italica dare, intermissis aliquot Latinis vocibus inconditis ac barbaris, personam adsciticiam belle sustinens. Quadratio post, captiva navis Tamesim invehitur. Londinum appulsi deducuntur juvenes quidem domum Cantuariensis antistitis: Balduinus in custodiam, quem S. Birgittæ puteum vocant. Avelli ab eo non potuerunt sine lacrymis; nec periculo caruere lacrymæ. Amor regi vix patiens, & singulari quadam reverentia temperatus, suspicionem de Balduino primùm susceptam renovavit. E repetitis interrogationibus elapsus feliciter, in carcerem reducit. Duos in assignato sibi ergastulo comites habuit, unum hæreseos ministrum, sceleris nescio cujus reum; alterum catholicum miserabiliter lamentantem. Datus enim in quæstionem, & vi tormentorum victus, accusaverat sacerdotem, eique necem insonti consciverat. Attonitus criminis conscientia presbyterum, cui peccatum aperiret, eo vehementius expetebat, quòd iterum in quæstionem abripiendus, animam sibi diritate supplicii eripiendam minimè dubitaret. Deridens catholici religionem ac metum procaz hæreticorum grex, ejus luctum incendebat; ita ut præ ira & desperatione furere, ac sui vix compos esse videretur. Habebat remedium in promptu Balduinus, sed alloqui hominem, seque indicare verebatur. Adreptus igitur ad eum noctu, & clam in aurem insuffurat bono animo fit: scire se sacerdotem non procul: daturum operam ut adsit proxima nocte. Et ipse adfuit, absolutumque de peccatis, ad Fidem & constantiam sic excitavit, ut animam lætus in tormentis, quem-

23.
Balduinus exploratores bel-
lissimè ludit, &
in libertatem se
vindicat.

quemadmodum prædixerat, posuerit. Balduinus interim, uni è custodibus nonnihil pecuniæ pollicetur, si per eum adipisci libertatem queat. Neque ille respuebat conditionem, si modo inveniri quispiam posset, qui testaretur Balduinum ex Italia profectum esse. Habeo, inquit Pater, hujus rei testem idoneum, Joannem Gerardium. Is, sacerdos è Societate, captus * anno MDXCIV. tenebatur in Wintoniensi atrio: & Balduinum Romæ viderat. Adductum coram agnoscit, & à se Romæ visum affirmat. Quo testimonio fretus Balduinus, publica fide accepta, dimissus est: non autem cum Hawkino, sive Hawkinsio (cujus libertas sex aureorum millibus æstimata fuerat) commutatus, ut nonnulli tradidere. Ita enim narrat ipse in ea, quam ad Provinciam Belgii Durasium scripsit epistola, unde hæc breviter descripsimus. Ne quid gravius in adolescentem statueretur fecit illorum atas, candor, constantia. Bini etiam fuga elapsi Vallisoleum tenuerunt.

In reliquos interea catholicos atrociter sæviebatur, qui hæreticorum sacris interesse, adire profana templa, impiaque cærimonias usurpare detrectabant; quique idcirco *Recusantes* vocabantur. Plena licitoribus ac delatoribus littora, domus, templa; plena patibulis oppida, vincis carceres, reis subfellia. Cognati à se invicem, à filiis parentes, à parentibus filii, prodebantur. Satis constat mulierem gravidam, cum à marito traheretur ad hæreticam concionem, horrore percussam, in ipso templi profani limine immaturum fetum eiecisse. Ne tamen suppliciorum duntaxat acerbitate, sed ratione ac veritate pugnare viderentur, hæc opinionem sedulo spargebant in vulgus fas esse catholicis qualibet frequentare templa, etiam eorum, à quibus in religione dissident. Id fieri sine delicto posse modo recta mens ac tuta esset. Errorem hunc, à P. Personio * jam pridem aliisque refutatam excitabat ac tuebatur Thomas Bellus, qui doctrinam ejusmodi se habuisse ab ipsa urbe Roma impudentissimè prædicabat; nimirum inter Anglicani Seminarii alumnos educatus: sed adeo illorum, quæ in hac virtutis religionisque schola didicerat, adeo suimet oblitus, ut etiam apertè ad hæreticorum partes defecerit. Eo pejore loco Christiana res erat, quòd plerisque catholicis hæc doctrina non displiceret; idque fieri crederent impune posse, quia cupiebant. Hinc etiam acrior conquisitio & vexatio sacerdotum, quicumque doctrinam exitialem condemnabant. Eorum unum tecto cum excepsisset Anglus nobilis Henricus Druræus, in carcerem conjectus est. Inde tamen amicorum potentium operâ educatus (nam Guillelmum Hiberniæ proregem patrum habuerat) nova sibi religiosæ vitæ vincula ulro induit, ac Societatem ingressus lautum patrimonium alendis Evangelii per Angliam præconibus addixit. Tornacum petiturus, ubi tirocinium poneret, acuta febris corripitur, & solutus corporis custodia in plenissimam filiorum Dei libertatem evolavit.

Custodia quoque Londinensi, post exhaustos cruciatus acerbissimos, feliciter, nec sine Numine, liberatus est is, de quo paulo ante meminimus *, Pater Joannes Gerardus. In atrio Wintoniensi, ut vocant, asservabatur, sed laxa tamen ac pæne libera custodia. Sacerdos eodem inclusus carcere, gratiam apud reginæ ministros captans, ac fortasse innocentis exitio in libertatem vindicare se cupiens, certiores illos facit secum esse Joannem Gerardium Societatis sacerdotem: sed à carceris præfecto, pecuniâ corrupto, haberi quasi liberum: ejus copiam promiscuè universis fieri, etiam ignotis, & sine teste: deferri ad eundem litteras à P. Garneto scriptas. Gratissimus accidit ille nuncius regis ministris, arbitrantibus hinc fieri posse indicium aliquod de Garneto, quem terra marique incassum perquirebant. Submittuntur ab iis extemplo certi homines, qui Gerardium nec opinantem aggressi, cubiculum, lectum, supellectilem, vestes, latebras omnes & angulos excutiant. Spe sua falsi pertrahunt vincum in Londinensem turrim. Sciscitantur an publica regni attigerit negotia. Negavit, ac sui Ordinis legibus id sibi esse graviter interdictum renunciavit. Cur in Angliam venerit: Nimirum, inquit, ut popularibus meis viam vitæ ac veritatis ostendam. Quid litterarum acceperit à Garneto: accepisse se non inficiatus est, sed quæ ad domesticam duntaxat Societatis pertinerent administrationem, cujus cura Garneto demandata per Angliam erat. Ubi esset ille quarentibus respondit nec scire

* *Supra.* n. 15.

24.
Hæreticorum
templa. Thomas
Bellus. P. Henricus
Druræus.

* *Infra.* n. 84.

* *Supra.* n. 14.

A. C. 1597.
Soc. 58.

25.
P. Joannes Ger-
ardus excru-
ciatur.

scire se; ac si porro sciret, non commissurum ut indicaret, cum id facere non posset salvis conscientiæ legibus. Minitantibus inaudita supplicia, In potestate, inquit, vestra sum: confido fore ut Deus mihi sufficiat vires cruciatibus ferendis & innocentiae retinendae pares. Vix ea prolocutus rapitur in immanem specum, ubi ferales inter malignae lucis tenebras equulei, catasta, trochlea, unci ferrei, stipites humi per intervalla defixi, & adhuc infecti sanguine, animos intuentium ipso aspectu vulnerabant. Hujus carnificinae scena horribili haudquaquam territus Gerardius procidit in genua, & opem Divinam brevi precatione suppliciter imploravit. Arreptum tortores erigunt ad alteram è duabus, quae tectum fulciebant, columnis ligneis, & brachia inferunt arctissime ferreis annulis ea parte qua brachio manus committitur; tanto totius corporis dolore ut lacertis intumescens caro livida ferreos annulos integeret, ac sanguis per imos digitos exsudaret. Ita pendente urgent regii quaesitores, ut de Garneto quae novit aperiat. Silentem pendere tandiu jubent, dum exhalet animam, aut arcanum promat. Aderat relictus cum licetoribus tribus custos carceris, & sudorem abstergens exangui è vultu, rogabat identidem ut ne se ipse perderet. Sacra Jesu ac Mariae nomina intermortuis vocibus appellantem animus, ac paene vita, defecit. Laxatus ac sublevatus paulisper, animus recepit: sed tacere pergens, iterum sublime tollitur, donec similiter vox animusque deficeret. Hunc in modum octies per quinque horas repetitus idem est cruciatus. Interim Guillelmus Wadeus, huic praepositus quaestioni, superveniens, an imperata facere tandem velit percontatur. Gerardius nihil habere se, quod de Garneto dicat, respondet. Cui Wadeus, Pendebis igitur tandiu dum hic putrescas: & ad tortorem truculento vultu conversus, Cruciabihunc, ait, donec aut medius crepet, aut quod quarimus denique respondeat. Nec segnius factum à carnifice. Mutantur & augentur ferrei annuli, quod priores brachia foede tumentia complecti non possent. Luxatis artubus, convulso pectore, cum languebat extremo paene confectus spiritu, demittebatur, & infusa in os aegre diductum calidam, recreabatur. Vix respirare coeperat, supplicium integrabant. Berkleius (praerat is turri Londinensi) cum hora integra pendente vidisset, commiseratione motus deponi jussit, & paucis post mensibus tristem arcis praefecturam ultro abdicavit. Quantam esse oportuit immanitatem supplicii, cujus procurationem, ac ne aspectum quidem ferre homines crudelissimi potuerint? At custos carceris tam insigni patientia conciliatus, eum cibo, ut infantibus solet, in os ingestio, pavit: nam brachiis manibusque liberior motus, nisi sexto post mense, non rediit. Libros etiam pios subministravit, quibus instructus Pater ad necem se comparabat: hanc enim instare sibi cognoverat, brevi à iudicibus irrogandam. Atramenti copia per eundem custodem facta, litteras misitavit ad amicos, & ab iis vicissim accepit, internuncio & sequestro Joanne praesertim Lillio, qui Patris Gerardii olim aedituus, postea socius in carcere; at liberatus catholicorum pecunia, singulari semper fide in eum ac Societatem nostram fuit.

Jam ad Gerardium regius venerat advocatus, ut ex ejus responsis per scribam publicum exceptis conficeret formulam sententiae in eum ferendae; laetusque vicinam necem aspectabat Christi servus; cum fugae ac salutis occasionem omnino inexpectatam Deus obtulit. Non procul ab ejus carcere turricula erat, arcis moenibus & fossa circum arcem ducta imminens. Hanc turriculam insidebat ab annis decem Anglus nobilis Ardenus, ob Fidem catholicam neci jam pridem additus, in eoque sepulcro, ut sensim periret, relictus. Oraverat Gerardius facultatem ejus invisendi. Custos multa prece ac pretio victus illum deducit in Ardeni carcerem; & obseratis diligenter foribus, noctis unius cum eo tradendae potestatem facit. Ea nox in Divino sacrificio, ad quod celebrandum necessarium suppellectilem sacram Gerardius attulerat, & in Dei laudibus est collocata: passus etiam caelesti pane Ardenus, quem ab annis decem non gustaverat. Gerardius voti compos, ac nihil quidquam aliud cogitans, discedebat. Sed, dum custodem à quo reduceretur, expectat; dum ambo circumspiciunt otiosè, animadvertunt incumbere muro & fluvio turriculam: ex ea facilem (si consilium & ex-

26.
Evadit è custodia Londinensi.

terna quædam adminicula non desint) aperiri posse fugam. Et Ardeno assentiebatur Gerardius, si Garnetus annueret: hunc per litteras consulere placuit. Respondit ille, sibi & catholicis, quos habebat secum, ita videri sanè, modo res confici tuto ac sine cuiusquam damno posset. Reductus in suum carcerem Gerardius scribit ad Richardum Fulwoodium & Joannem Lillium, homines fidos, & perspectæ probitatis pariter atque industria. Cum iis ita convênit: adfuturos noctu in lembo piscatorio, qua parte flumen muros arcis alluebat, assuta vestibus lacinia candidi lini, ut internosci per tenebras possent: oblatum per funem delapsuros Gerardium & Ardenum. Condicta nox aderat: impetrat Pater iterum à carceris custode facultatem pernoctandi cum Ardeno. Subeunt prono Tamesi Fulwoodius & Lillius, piscatorum cultu nocturnam prædam scrutantium: sic arcis mœnibus adrepunt. Vidit ex adversa ripa procedentem scapham nescio quis, & clamorem edidit. Illi se detectos ab excubitoribus arbitrati, omissa ripa recedunt celeriter in medium Tamesim, & fugam capefunt: sed fluminis vorticibus abrepti deferuntur in trabes ponti prætensas, quibus illisa navicula frangitur. Actum de illis erat, nisi clamore pereuntium excitata, quæ in proximo stabat, navis major accurrisset, ac pæne undis haustos jactis funibus eduxisset. Spectabant è summa turri cum fluctibus & morte luctantes Gerardius Ardenusque, ac miserorum ejulatus audiebant; taciti tamen, ne quis excubitor voces ipsorum aut gemitus sublegeret. Rati ambos periisse, à se invicem divelluntur illacrymantes; ac Divinæ providentiæ arcana venerantes consilia.

Redditus ergastulo suo Gerardius, & ad necem se denuò comparans, postridiè accipit a Lillio epistolam; cognoscit salvos & incolumes evasisse; redituros nocte insequenti, eodem apparatu, eadem spe, animo ad subeunda quævis pericula majori. Latus inexpectato nuncio laborabat quemadmodum carceris præfectum deliniret, ac tertiæ noctis cum Ardeno transigendæ veniam obtineret: nescio quid causæ profert; auget pretium; exorat. Sub mediam noctem allabuntur tacita devecti cymbula Lillius & Fulwoodius: alligant crassi rudentis imam partem arboris trunco prope muralem fossam; partem alteram ad se trahit Gerardius ope funiculi, cujus caput plumbeo involutum globulo illis projecerat; eamque tormento bellico, in arce summa, valide innectit. Per nauticum hunc funem, instar pontis pensilis, ab arcis mœnibus trans ejus fossam ductum, prior librat se Ardenus, & ad terram impune devolvitur. Sequitur Gerardius, ac dimidiam ferme viam erat emensus, partim inequitans pronus, partim pedibus manibusque funem supinus stringens, cum brachia cruciatibus, quos diximus, debilitata pendulum deficere cœperunt. In fossam subjectam interficiente plenam aqua præceps ruebat, cum, collectis viribus, & invocato Numine, hortantibus & insulfurrantibus sociis ut adniteretur, funi rursus se arctius applicat; tantumque spatii confecit agrè, quantum fuit satis ut pedes ipsius extremos possent Lillius ac Fulwoodius contingere: quibus illum apprehensum tandem adduxere semianimem, & leviter cibo refectum una cum Ardeno equis paratis imposuerunt: ipsi rudentem absciunt, & suam repetunt cymbam. Scripserat Gerardius antequam ex arce discederet litteras tres, & in ipso reliquerat carcere. Unis custodem ergastuli admonebat de fuga, simulque significabat daturum se operam ne quid in eum mali inde redundaret. Alteris præfectum arcis rogabat ne periculum sua causa custodi carceris faceretur, quem hujus effugii conscium aut participem nullo esse pacto testabatur. Tertias litteras inscripserat senatui: ac primo quidem arcis præfectum & carceris custodem omni culpa liberabat; deinde consilii sui ac fugæ causas exponens negabat impulsam se fuisse mortis metu, quam ingenti lucro & gloriæ apponeret, sed mortis iniquissima causa, quippe quam idcirco sibi videret intentari, quod recusaret prodere Garnetum, sacerdotem integerrimum, deque patria optime semper meritum: se usum fuisse jure, quod innocentibus natura tribuit: salutem quævisse fuga, ut plurimis saluti foret: ceterum haberent pro certo se ab omnibus negotiis quæ ad rem publicam spectarent planè temperaturum, ut ab iisdem hæcenus sanctè abstinerat. Præter has tres litteras in custodia relictas, quartam in tuto jam positus dedit perferendam ad custodem carceris. Hortabatur

tabatur ut subduceret se periculo & neci, quam, licet innocens, effugere vix poterat: componeret illic si quid urgeret negotii: conferret se certam in domum, quam indicabat: illic præsto fore equum & viæ ducem, à quo in eum locum deduceretur, ubi nihil ad vitam commode agitandam desideraret. Hæc epistola custodi redditur intempesta nocte: qua perlecta dirigit. Oblatam fugæ nihilominus facultatem haud cunctanter amplexus, & in equum paratum insiliens, deducitur in ædes viri nobilis, apud quem tandiu substitit, dum uxor ipsum conveniret: cum qua in extremum provinciæ remotioris angulum profugit; & reliquam ætatem inter catholicos catholicus exegit.

At Londini, ubi primum illuxit, rudentisque pendens è bellico tormento fragmentum apparuit, curstatum illico est in arcem. Sine custode custodia, sine vinculis carcer; litteræ tres in vacuo ergastulo repertæ. Fuit arcis præfectus, & custode frustra investigato, litteras ad Consilium regium defert: ac ne parum fidus Reginæ, aut facinoris particeps videatur vel conscius, vociferatur, petitque ut in urbem quamprimum liçtores dimittantur, qui domos omnes scrutentur, & perduelles retrahant è fuga. Risere senatores; quasi, quibus tantum amicorum, animi tantum & industriæ fuisset ad fugiendum, non iis tantumdem ad latendum, & vitam in tuto collocandam foret. Imò fuit qui Gerardio gratularetur, & eum gauderet procul esse, ne senatui necessitas imponeretur innocentis condemnandi.

Nec longe tamen aberat ille, aut inertes latebras captaverat. Londinum confestim reversus, catholicorum lustrare domos, confirmare nutantes, lapsos erigere, sacramentis agros valentesque recreare perrexit: laquos ubique paratos singulari Numinis beneficio semper evolans, donec post annos demum novem, ut persequentium furori paulisper locum daret, ex Anglia secessit.

Sed quod exitium non poterant Gerardio fruere hostes religionis, id ejusdem amicis, ac præsertim iis, quos fugam ejus adjuvisse suspicabantur, machinati sunt. Ac Fulwoodius quidem proscriptum se videns, & addictum grandi pretio suum caput, vixque ullum tot inter indagatores, odore mercedis illectos, saluti locum esse; mutato cultu evasit in Belgium, ubi se totum curandis Anglicanæ Missionis rebus & commodis impendit. Animosior Lillius non sustinuit à Gerardio suo divelli: dedit se illi tanquam famulum; eundemque rursus periculo suo servavit. Nobilium adolescentum selectam turmam sacris meditationibus excolendam (quæ S. Ignatii Exercitia Spiritualia vulgo nuncupantur) duxerat Gerardius in ædes catholici dynastæ. Quinto die flagitiosi servi perfidiâ proditus, videt subire duos apparitores. Improviso aspectu conturbatus, vestem religiosam primum deponit raptim, deinde cubiculi fores obfirmat: sed spe diu latendi aut fallendi nulla; neque enim suberat ibi latibulum quo se abderet: quinimo vicinum conclave, in quo rem Divinam facturus erat, sacra ornatum eleganter suppellectile manifestum sacerdotis indicium faciebat. Satellites ad Gerardii cubiculum, lustratis obiter aliis, quæ patebant, adveniunt; pulsant fores; sollicitant feram; obnituntur vehementius; resistente intus oppositis humeris, & obluçtante clam Gerardio. Cunctantibus, & vestem aut malleos quaritantibus pollicetur matrona prudens daturam se clavim: & præit; hoc agens scilicet, ut eos à foribus istis avelleret. Sequuntur, quasi ad capiendam clavim: evadit Pater in aliud cubiculum & latebra se includit; Lillium, idem ut faceret, adhortans. At ille: Dubitare non possunt, inquit, quin hic lateat sacerdos quispiam: hoc loquitur facellum, & iste apparatus: non recedent, quin eversa domo te comprehendant. Lateas, obsecro, mi Pater, & quiescas: ego tuas obibo partes.

Dixit, & conclave, unde discesserat Gerardius, subit. Redeuntibus, non reperta scilicet clave, apparitoribus, & ferire januam pergentibus, prædit; ac firma voce constantique vultu, coram se sistit. Rogitantibus quisnam esset; Sum, inquit, is ipse quem cernitis. Num sacerdos? Et ille, vestrum est hoc probare; dicere non est meum. Prostabant in mensa chartæ quædam; eas evoluunt; meditationes esse, concionesque deprehendunt; ac talem nigram vestem in cathedra conspicati, nihil dubitarunt quin esset ille tota quæstus dudum Angliæ Gerardius; nam de facie cognitum non habebant: quod Lillius statim sensit, eoque audentius susce-

27.

Londini abditus maner. Gravi periculo liberatur.

28.

Joannes Lillius pro P. Gerardio capitur: fugit è carcere; in Societatem admittitur.

ptam personam sustinuit. Injiciunt vincula ipsi, duobusque famulis; perduellem clamitant; domum ac rem omnem familiarem fisco addunt; colligunt scripta, in fasciculum; & conclave regio sigillo, ne cui pateat, communiunt.

Expectabant in aula inferiori tragœdiæ feralis exitum nobiles matronæ complures, inde efferre pedem prius vetitæ, quàm peruestigata domus foret. In hanc aulam Lillius introducit. Qui coram illis antea non apparebat, nisi stans & aperto demissoque capite, instar famuli; jam gressu composito, erectoque vultu, data salute, ut gravis sacerdos, coram omnibus sedere cœpit. Fraudem intellexere; ac præ gaudio nonnullæ collacrymantes, & triumphantes in sinu, ploratum ediderunt. Quod aliam in partem interpretati satellites, lati Lillium abducunt. Postridie in senatum frequentem productus Londini, deprehenditur laicus esse, non sacerdos; Lillius, non Gerardius. Pudore & iracundia efferati, redire domum catervam satellitum jubent, ac verum Gerardium comprehendere: sed ille jam procul abscefferat. Lillium jampridem neci destinaverant, eam ob causam, quod uxor custodis ergastuli, unde fugerat Gerardius, interrogata de architectis illius fugæ, præcipuum ejus administrum dixerat fuisse Lillium. Hunc igitur eo crimine nunc urgent. Fatetur ultro, & proclamatur suum hoc esse unius meritum ac decus; hujus vel sola recordatione maximam haurire animo voluptatem; idem se facturum, si res in integro sit. Atenim nosti, inquit, ubi Gerardius modo sit. Ego vero neque scio, retulit Lillius; neque, si sciam, ex me unquam audietis. Huic à septem fere annis operam fidelem navavi: tantam in homine probitatem, sapientiam, pietatem comperi, ut inexpiabile scelus à me susceptum iri putem, hunc si vobis dedam: priusque in frustra me comminui patiar, quàm ulla mihi vox præter officii mei fidem excidat. Exterritus ea iudices constantia, quam cum inter diros cruciatus Lillio pariter adesse cernerent, illum tetro carceri, pudore macerandum ac fame, mandarunt. Sed qui facilem Gerardio fugam explicuerat, sibi non defuit. Evadendi cum uno sacerdote catholico viam excogitavit, ipsumque Gerardium incredibili affectu gaudio, cum ex improvise liber & incolumis, atque ad majora pericula subeunda præparatus, apparuit. Præmium hujus fortitudinis, & aliarum, quibus erat ornatus, virtutum tulit Societatem, quam dudum ambiebat. Missus ad Garnetum, ac postea Romam ad Perfonium, illam inivit anno MDCII. & inter domesticos adjuutores numeratus est. Septem post annis lenta jactatus febre, Londinumque, ut patrio cœlo revalesceret, profectus, ibi religiosè obiit, Mercaturam Londini primum fecerat: ubi, dum artem parandi medicamenta tractaret, curam gerebat majorem animarum; remedia errori sanando, & hæresi deponendæ suggerens, Eo nomine delatus ad magistratum, in eundem cum P. Gerardio carcerem inclusus fuerat. Communicatis ambo consiliis Atrium Wintoniense (id carceri nomen) converterunt in sacellum, delinitis custodibus, quorum opæ data catholicis est venia intro subeundi: quos Gerardius audiebat constantes, erudiebat concionibus, piis denique meditationibus excolebat. Idem aliquanto post effecit per amicos ut Lillius, cujus pietatem industriamque perspexerat, pretio persoluto vinculis eximeretur. Ille, beneficii memor, totum se Gerardio mancipavit, eumque gravissimis, uti narravimus, periculis felici solertia liberavit.

§. II.
SECUNDA VEXA-
TÆ IN ANGLIA
SOCIETATIS
CAUSA.

29.
Sacerdotum
aliquot Anglo-
rum coitio con-
tra Societatem.

Sic innocentibus dolis vigilantiam hostium fallebant defensores pietatis; sic patientiâ crudelitatem superabant. Sed cruciatuum nihilominus acerbitate ac diligentia investigandi parum profecisset Hæresis, nisi ejus conatus discordia catholicorum & invidia promovissent. Sacerdotes aliquot Angli, præsertim qui è Romano Anglorum Seminario in patriam dimissi fuerant; cum viderent Societatis homines aliqua florere apud populares suos gratia, seque negligi arbitrarentur, instituerunt se ab illis segregare, ac sodalitatem moliri constantem è solis secularibus presbyteris. Hujus sodalitiij geminum præfectum creavere: alterum, qui obtineret Angliæ Septentrionalem plagam; alterum, qui Australem. Hanc tribuebant ambobus potestatem, ut sacerdotibus omnibus, etiam religiosis, in suo tractu versantibus imperitarent, nemo ut ipsorum injussu confessiones exciperet, aut aliis ministeriis defungeretur, quacumque esset præditus à Summis Pontificibus

bus facultate ac privilegio. Coitionem hanc hæretici fovere decreverunt, parum solliciti quorum manu auctoritas Pontificia labefacteretur: nec alia via certius & honestius ad excindendam religionem grassari se posse rati, quam ipsorum catholicorum dissidio. At sacerdotes fœderati cavebant diligenter ne quam suæ mentis & consilii suspensionem Pontifici facerent: leges duntaxat quasdam à se huic recenti, ut appellabant, sodalitiæ præstitutas ostendebant, eximiam spirantes pietatem, atque ob illas confirmandum auctoritate Romana suum fœdus arbitrabantur. Sed Clemens VIII. quid ageretur intellexit è litteris nonnullorum Angliæ catholicorum, qui sibi paulatim adimi facultatem, quibus vellent, peccata confitendi, & domos suas velut obsideri ab ejusmodi presbyteris questi erant. Hoc ipsum apertius ex uno istorum sacerdotum cognovit. Prodiert ab illis anno MDXCVII. liber contra Societatem. Hunc Roberto Fishero in Belgium aliasque trans mare provincias, ac demum in Urbem deferendum tradiderunt. Ad Romanæ curiæ lucem calumnia, quæ provincias aliquot ementito splendore fefellerat, expalluit. Fisherus seu fraudis conscientia, sive metu pœnæ, fœdus inter perturbatores istum; ejus causas, consilia, & modos omnes apud Acarismum Squaricionium, isti cognitioni à Pontifice præpositum, juratus exposuit.

Consule Apologiam pro Hierarchy Ecclesiastica apud Anglos inspirata.

Remedium postea malo quæsitum. Ac primo quidem visum est aliquem ex ipsa gente Anglicæ sacerdotem non religiosum aliis præficiendum esse, ut Societatis Patres eâ levarentur invidia, qua dominari ceteris, & principatum quandam ambire jactabantur. Disputatum deinde fuit ac diutius, quæ potestas, quod nomen huic sacerdoti donaretur: an illum ex Episcoporum ordine, an ex inferiori & simplici sacerdotum numero sumere conveniret. Censebant nonnulli creandos, qui catholicum in Angliæ clerum regerent, Episcopos, solenni Ecclesiæ more atque instituto: plenum auctoritatis ac dignitatis aiebant esse nomen: officium necessarium, ut catholici sacro Confirmationis chrismate ungerentur; tanto illic opportuno magis, quanto certamen gravius eorum virtuti propositum erat. Addebant à Jacobo rege aliquam ostendi spem conferendæ catholicos inter & hæreticos disputationis. Id si fieret, non esse dubium quin Ecclesiæ Anglicanæ pseudoepiscopi suorum causam defensuri essent, quibus omnino par erat opponi vicissim Episcopos; ne disputantium imparitas causam recusandi certaminis plausibilem adversariis præberet. Præterea tot lites domesticas, quibus catholicus Angliæ clerus discerpebatur, quibus Pontifex & Cardinales obrundebantur, alia auctoritate nulla facilius & citius, quam Episcopi, componendas. Adducebant exemplum Hiberniæ, quam a tot annis præfules summa in pace pulcherrimè gubernarent. Quibus contraria placebat sententia, metuebant ne inde novam vexandæ religionis materiam arriperent tum pseudoepiscopi Anglicani, tum Regiæ administrari. Deinde quis in Angliæ catholicus Episcopos illos excipiet domi suæ? Nam eos præcipua investigari cura certo quisque sciet: nec dubitabit instare sibi gravissimum fortunarum & capitis discrimen, si apud se deprehendantur. Sed esto; reperiat aliquis, ubi consistant, locus: satine liber ac tutus catholicis ad eos aditus erit? quo tandem pacto, quanto periculo, præfulem convenient? Ergo latebunt Episcopi, paucis, ut eorum & catholicorum incolumitati consulatur, cogniti: mutare domos sæpissimè cogentur: atque adeo vix ullus ex eorum sacro ministerio capi fructus poterit: multo vero minor, si comprehendantur, si carcere claudantur; id quod effugere nulla cura poterit: perniciës autem longè maxima creabitur, si cruciatuum acerbitate fracti, aliquid admittant indignum gradu suo. Quibus incedent lætitiis, id si accidat, Ecclesiæ hostes? quos triumphos agent? Quæ omnia in ordinis inferioris sacerdote sunt multo leviora. Denique, unus, an plures creabuntur Episcopi? Unus haudquaquam tanto par gregi erit, præsertim in latebras abditus ut plurimum ac retrusus: si plures erunt, fieri vix poterit quin aliquando in tanta rerum perturbatione à se invicem dissentiant, unde catholicorum orientur nova dissidia: sic in eadem incommoda religio revolvetur. Quod spectat ad Hiberniam, cujus exemplum objicitur, in ea per annos aliquot remanserunt Episcopi, remoti scilicet in ultimas insulæ partes, quo persequentium furor penetrare non poterat: unde tamen postmodum sunt expulsi, & insulam

30.

Deliberatur an catholicis in Angliæ præficiendi sint Episcopi.

A. C. 1598.
Soc. 59.

Iam prorsus deferere coacti. Demum creandis Episcopis Elisabetha unice favet, ejusque satellites: ex quo suspicari non immeritò licet, magnum aliquod exitium inde rebus catholicorum ab iis parari. Qui vero sacerdotes eam præcipue causam urgent, & Episcopos tanto ambitu postulant, magnis neque occultis cum eadem Regina ejusque consilio vinculis colligati sunt: iidem rerum novarum cupidi, honoris appetentes, & suis commodis addicti.

31.
Archipresbyter
qui Clerum An-
glicanum rege-
ret, creatus.

His omnibus expensis, mediam inire viam placuit; & Archipresbyterum, qui Anglos catholicos regeret, creare: additis, consilii capiendi causa, duodecim Assistentibus. Constitutum est, ut Archipresbyter à Cardinali Angliæ protectore legeretur: ut ab eodem Cardinali & Apostolica Sede proximè pendèret; cujus omnes observaret nutus, & quam de statu rei catholicæ in Angliâ sapere ac diligenter faceret certiore. Vetitum, ne quid majoris momenti statueret, nisi prius consulto Cardinali Protectore, ejusque sententia expectata. Quæ omnia fusiùs in Clementis diplomate anni MDCII. explicantur: & in altero Pauli V. anni MDCV. His ita provisus, renunciatus est Archipresbyter Georgius Blakuellus. Pulcherrimas de re tota in Angliam litteras, Pontificis mandato, Cardinalis Caetanus, gentis patronus, Nonis Martii misit; addita gravi cohortatione ad pacem atque concordiam.

32.
Nonnulli sacer-
dotes Angli res-
puunt Archi-
presbyterum, &
Romam petunt.

Sed quis esse locus concordia possit inter avidos imperandi, & alienæ laudis invidos? Aliquot sacerdotes doluerunt se ne consultos quidem in tam gravi causa fuisse; nullam sui rationem habitam in eligendis Archipresbyteri Assistentibus. Romanam appellare Sedem decreverunt, eamque ob rem illis Appellantium deinde nomen hæsit. Rationes sibi ab hæreticis, qui viam fovendæ inter catholicos sacerdotes discordiæ primùm initam sedulo insitebant, subministratas congeserunt, quibus Episcopos Angliæ omnino necessarios esse ostenderent. Criminabantur Archipresbyteri nomen, ut novum: Georgium Blakuellum, quem modo diximus hoc nomine ac munere insignitum, negabant jure ac legibus creatum fuisse, quem suis eligi nimirum oportuisse suffragiis contendebant. Mandatum Pontificis malis artibus & falsa rerum narratione jactabant impetratum; præterea non ritè denunciatum, sed indicatum duntaxat per litteras Cardinalis Caetani; ac proinde nullam obligandi vim habere. Hæc omnia gemino consignata, commentario in vulgus ediderunt, altero Anglicè, altero Latinè conscripto. In utroque Archipresbyterum, quem interim indignis vexabant modis, Patres Societatis, Cardinalem Protectorem, ipsam Sedem Apostolicam protervè insectabantur. Denique duos è suo delectos cœtu miserunt* in Urbem, qui cum Clemente VIII. tanquam de injuria exposcularent. Illos, ubi Romam attigere, assertari Pontifex jussit in Anglicano collegio, donec omnis causa diligenter cognosceretur. Ea cognita, Cardinales Caetanus & Burghesius, ad quos hoc judicium Clemens detulerat, pronunciarunt nequaquam expedire ut isti legati redirent in Angliam; jussique sunt in Gallia aut Lotharingia consistere. Confectum deinde Apostolicum diploma, & munus Archipresbyteri, quod antea Clementis jussu per Cardinalem Protectorem significatum Angliis fuerat, litteris Pontificiis* confirmatum est. At illi duo sacerdotes Angli Romam ab Appellantibus missi, quamvis jurati promississent se ab hujusmodi factione penitus recessuros, neque redituros in Angliam, fidem tamen in utroque sefellerunt. In patriam paulo post, & ad pristinos reversi sunt mores: ex quo intelligi potuit qua mente Romam accessissent. Atque ut eodem loco prosequamur quæ deinceps contigere, in Angliam regressi veteris discordiæ incendium vehementius excitarunt. Præter multa, quæ objiciebant Archipresbytero, illud in primis querebantur, quòd ab illo tanquam schismatici haberentur. Corrogatis igitur triginta sacerdotum suffragiis, novam appellationem machinati sunt, communicato prius cum Elisabethæ primariis ministris consilio, à quibus jussus est Bancroftius, pseudoepiscopus Londinensis, Appellantes quibuscumque rebus posset, adjuvare: quod ille tam aperte faciebat, ut palam cum iisdem versaretur, & eorum aliquos domi haberet. Occultiùs cum Elisabetha ipsa locutus est Bluettus, inter Appellantes non postremus: ac per eam datum est Calvinii affectis in Belgio, Gallia, & Italia nego-

* *Bishopum, &
Charnochum.*

* *Datis 6. April.
1599.*

A. C. 1599.
Soc. 60.

tium, ut Appellantium causam omni ope tuerentur. Ex eorundem grege vinculis emissi sunt Regina jussu quatuor sacerdotes; Bluettus, de quo modò memini, Bagshaus, Ciampneus & Barnbeus, ut Romam (quamvis id legibus Anglicis gravissimè vetitum foret) profecti, Pontificem adirent, urgerentque negotium: data illis littera à primoribus magistratibus, quibus freti concurrabant Angliam impune, & partes suas impigrè fulciebant: dum alii sacerdotes, qui ad istud fœdus recusarent accedere, conquirebantur atrociter, durius tractabantur in custodiis, omni pœnarum genere cruciabantur.

Quatuor igitur isti è fœderatorum sacerdotum læti grege, dum Romanum capeffunt iter, in Galliam devenere, ac litteras commendatitias oratori Anglo Parisiis degenti detulerunt: aliasque Regi Christianissimo ab ipsa scriptas Elisabetha, quibus litteris vafra mulier persuadere conabatur, sacerdotes quosdam catholicos permiscere Angliam; eos nequaquam studio religionis incitari; meram ab iis dari fabulam, cujus partes primas agerent Jesuita; cujus nodus & consilium esset unicum, ut Hispana res augetur ac floret. In eandem sententiam locuti cum Rege isti affirmarunt Romam se pergere, ut Pontificem edocerent. Sic litteras elicuerunt, quibus eos Rex Christianissimus oratori suo commendabat. Romam ut venere anno MDCII. invitati sunt ad collegium Anglorum à P. Perfonio, ut in eo degerent tanquam domi suæ. Non modo abnuerunt, sed ne semel quidem in ejus templo sunt conspecti. Neque se tantum à Patribus Societatis segregabant, verum ab aliis etiam quicumque morem Archipresbytero, uti decebat, gererent. Rogantibus quid causæ esset, respondebant se Hispanæ factioni non favere. Idem hæreticis, præsertim Anglis, Anglorumve studiosis, apertè ac perquamfamiliariter utebantur; multaque cum illis fruebant in religionis & catholicorum perniciem. Clemens Pontifex, plerisque rebus Apostolica benignitate dissimulatis, remisit illos in patriam, jussos rebus pridem constitutis acquiescere, nihilque novè deinceps moliri: severe præcepit ut exitiali cum hæreticis commercio abstinere, obsequerentur Archipresbytero, pacem cum fratribus sanctè colerent. Illi primùm omnium Roma Lutetiam profecti rationem suæ legationis oratori Elisabethæ reddiderunt, ac per eum pseudoepiscopo Londinensi, qui totius negotii patrocinium, jubente senatu, susceperat: & quem, in Angliam paulo post reversi adierunt, ut renunciarent quid actum Romæ fuisset, quid scriptum; quid spei, quid metus & periculi, ostenderetur. Ut verò senatum sibi magis devincirent, fabricati sunt juramenti formulam*, illi persimilem quæ postmodum catholicis in Anglia fuit proposita, contra Sedis Apostolicæ auctoritatem. Huic formulæ duodecim ex ipsis nomina sua & chirographa subjecerunt. Quin etiam Anglis, Benedictinæ familiæ alumnis, in Anglia & Hispania, virus suum & odium in Societatem afflaverant: qui tamen à Pontifice admoniti veterem concordiam brevi nobiscum redintegrarunt.

Moritur interim Elisabetha ineunte anno MDCIII. Jacobum regem illi suffectum convenere sacerdotes inquieti, ut eum suas in partes pertraherent. Duriorum senserunt propter gravia quædam ipsorum crimina, quorum pœnas duo*, publicè affecti supplicio, dedere. Romanam iterum curiam tentare sunt aggressi. Spem illis rei melius gerendæ fecerat Clementis VIII. obitus. Igitur ad ejus successorem Paulum V. allegant Ceciliam & Ciampneum. Causæ cognitio demandata Cardinali Innocentio Bubalo, tunc gerenti Protectoris Anglorum vices, absente Cardinali Farnesio. Ab eo sæpius, & à Congregatione S. Officii auditi sunt: cumque veteres de creandis Episcopis, & mutanda cleri Anglicani gubernandi ratione querelas iterarent; idem illis à Paulo V. quod à Clemente VIII. responsum est. Imperatum præterea ne litem istam amplius moverent, aut Romam idcirco reverterentur; studerent paci, concordiam retinerent. Addidit Summus Pontifex nihil se concessurum, nisi quod unanimi consensu catholici Angliæ postularent. Hoc enim denique intellectum fuerat, nihil aliud Ecclesiæ hostibus fuisset propositum, nisi ut catholicos à se invicem disjungerent: hanc omnem controversiæ tam diuturnæ machinam, hanc de creandis Episcopis sollicitudinem ab iis non Appellantium studio, sed omnium catholicorum odio comparatam: nec

labo-

33.

Quid responderit Clemens VIII. Appellantibus.

* Exstat illa in fine Questionis bipartite in Georg. Blackuelum & Londini 1609.

34.

Quid isdem responderit Paulus V.

* Vassonus, & Clarus.

laborasse Reginam ut idoneos ovili Christi prospiceret pastores; sed ut, corruptis vel divisis pastoribus, gregem facilius laniaret. Elisabetha vestigia persecuti, qui Angliam Jacobo rege administrabant, Appellantibus persuaserunt Paulum V. non locutum esse sua mente, sed esse sententia Patris Personii; quem pessime oderant, quia optatissimam intulerat Romano Anglorum collegio concordiam, & alebat. Itaque Archipresbyter, ut rem pernosceret, facultatem à Summo Pontifice petiit mittendi Romam procuratoris, qui Sanctitatis Suae mentem de creandis Episcopis certo resciret. Iterum edixit Pontifex, nihil ut ea de re proponeretur, nisi de communi consensu catholicorum. Paucissimi ab Appellantibus, post omnem industriam adhibitam, reperti sunt qui cum ipsis sentirent. Imò catholicorum Anglorum spectatissimi, datis ad Pontificem litteris eundem obsecrarunt, ut Episcopis creandis abstineret, si salvam in Anglia religionem vellet. Quamobrem rejecta penitus Appellantium fuere postulata.

35.

Georgius Birkettus, in locum Georgii Blakuelli exauctorati subrogatus.

Hæc illi cum haudquaquam pari, ac sperabant, exitu viderent gesta, neque spem ullam Archipresbyteri abrogandi cernerent; alia via occultiore tendebant perrexerunt. Suffectus erat in Blakuelli Archipresbyteri, qui causam religionis prodiderat, locum Georgius Birkettus anno MDCVIII. vir sane probus, at paulo candidior, ac proinde istorum insidii opportunus. Hujus nomine atque auctoritate, tanquam persona tragica, uti decreverunt; ita ut Archipresbyteri quidem retineretur nomen, potestatem vero & regimen cleri Anglicani totum ipsimet obtinerent: ac religiosos sacerdotes omni administratione submoverent. Hac mente Birketto subjiciunt speciosa consilia: palpantur homini minime malo: certas rei catholice in Anglia gubernandae rationes suis consiliis accommodatas proponunt; easque ut à Pontifice comprobari petat, persuadent. Birkettus confirmandae pacis, quam unam loquebantur, cupidus; ac ceteros ex indole sua proba rectaque aestimans, duos deligit qui Romam contendant*, Fitzherbertum & Smithæum. Utrique impense mandat nihil ut moliantur, nisi communicatis cum P. Roberto Personio consiliis. Ac Fitzherbertus quidem non invitatus, quod jubebatur, praestitit: Smithæus omnia de Appellantium sententia gerere instituit, à quibus etiam se missum non obscure venditabat; Archipresbyteri tamen ubique nomen & mandata obtendens, eamque velut escam Romanae curiae solerter objiciens. At seniores nonnulli Cardinales hominem propius interiusque contemplati, perspexere quò tenderet: rursusque revertit Pontifex, ne quid in posterum de ulla re alicujus momenti proponeretur aut statueretur, imò vocaretur in deliberationem, nisi de communi catholicorum Angliæ sententia.

* Anno 1610.

36.

Novæ Appellantium turbæ Roberti Cecilii vox memorabilis.

Nec idcirco tamen Appellantes incepto destiterunt. Pergit in Belgium Smithæus, postulat à Nuncio Apostolico facultatem deliberandi cum amicis sacerdotibus de rebus ad concordiam in clero Anglicano faciendam spectantibus. Atque in eo cœtu de novo capite seu moderatore cleri constituendo; de legibus condendis ad gubernanda Seminaria; de adversariorum infringenda potestate. Smithæus clandestini hujus cœtus consilia & leges secutus optimos sacerdotes & Sedi Apostolicæ addictissimos, qui juventutem Anglicam in officio & pace continebant partim vexavit, partim curavit exigendos: adolescentes cum ipsis, & inter se collisit: Patres Societatis quibus conscientiae rectoribus Duacenum Seminarium utebatur, illi eripere variis artibus tentavit. Ejus conatibus obstiterit acriter Societas, ac paci & concordiae fovendae tanto diligentius studuit, quanto acrius ad illam evertendam Appellantes conspirabant. Romana vero curia deduci se passa non est à pristina sententia rejiciendi quidquid communi Anglorum catholicorum consensu approbatum non foret. Sic elusæ spes iniquissimæ, disculsumque periculum, quò haud scio an Anglia catholica ullum gravius adierit. Si enim res Appellantibus è voto cessisset, nunquam iis repugnare ausus esset Archipresbyter; ita illum habebant in potestate: neque potuissent ipsi hæreticorum blanditiis resistere vel minis, pro ea, qua erant cum iis familiaritate conjuncti. Nec dubium erat quin magna catholicorum pars duces cæcos secuta, è schismate in hæreseos barathrum fuisset prolapsura. Viderat hoc Robertus Cecilus, quo immaniores hostem religio catholica vix habuit; cum Regem moriens admonuit

ut,

ut, si consultum sibi & posteris vellet, catholicos cum catholicis, sacerdotes cum sacerdotibus, religiosos viros cum populo committeret. Res tibi cum hoste gemino est, inquiebat; cum Puritanis & catholicis. A Puritanis nihil est periculi, quia ducem externum inventuri facile non sunt: à Catholicis tandiu nihil erit metuendum, quandiu ipsis inter se non conveniet.

Dum hæc inter catholicos componuntur, quies ab hæreticis fuit, sed non diuturna. Ubi enim cognitum est Romanam curiam à sententia fovendæ concordia dimoveri non posse, ad ingenium crudelitatis redierunt. Illam expertus est anno MDCI. P. Rogerius Filkockius; olim Duaci, postea Vallisolei educatus in Anglicano Societatis Seminario. Inde in patriam transmisit, sacerdotio & armis theologicis instructus. Post biennium certando vincendoque feliciter consumptum, in Societatem adscriptus est. Vix religiosæ militiæ sacramentum dixerat, cum interceptus à Regina satellitibus breve tirocinium posuit in ergastulo Portæ, ut appellat, Novæ. Interposito non amplius biduo, insontem capite damnarunt, nullo teste audito, nullo judicio instituto: sacerdotem suspicabantur esse: suspicio satis noxæ fuit. Socium gloriosæ mortis habuit Patrem Marcum Barkworthum, à S. Marco vulgò dictum, monachum Benedictinum, veteri cum ipso amicitia conjunctum: qui Filkockium vocat in quibusdam litteris virum insigniter humilem, eximia caritate, patientia & pietate præditum; dignum cujus vita proponeretur omnibus, tanquam exemplar vivendi & norma. Ambo eidem orati viminæ impositi ad supplicium raptabantur, concinentes illud Davidicum, *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea* *: cum triste, an potius lætum? oculis spectaculum objicitur. Vident pendentem è patibulo nobilem matronam, catholicorum pæne omnium, studio & cura matrem, Annam Linam, prognatam è clarissima Heighamorum stirpe: quæ à parente suo Calvinista obstinatissimo fortunis omnibus exuta, totam se pietati dederat, ac Patrum Societatis obsequio. Ædes, ubi rem divinam facerent, custodiebat; mutabat illas identidem, ut fucum delatoribus impiis faceret; in eas catholicos perducebat. Deprehensa, cum P. Franc. Pagius sacrificium perageret *, satis habuit spatii ut illi aperiret effugium, non item ut vestes sacras occultaret: quo indicio, tanquam hospita presbyterorum, in jus rapitur. Illa vero non modo non negavit, sed ultro etiam quod quærebatur confessæ, subdidit se id unum dolere, quod recipere plures ac fovere nequivisset. Stomachatus judex femina fortis liberam vocem, eò duci jussit ubi fontes & facinorosi plectuntur, licet ægram & annis morbisque obstitam, vix ut pedibus insisteret. Ad ejus conspectum exiit P. Filkockius, & restem jam collo inferebat; cum lictores in Patrem Marcum ferociter investi, quia judices catholica libertate perstrinxerat, primum illum corripunt. Vix illigato faucibus laqueo pependerit, dejiciunt adhuc spirantem; dissecant alvum; & raptis intestinis, pectus lato vulnere perfodiunt. Cum avellerent cor, immixtis in parentem & cruentum pectoris lacerati sinum manibus, audita vox est ingemiscens, ac divinam implorantis opem. Subjecit Filkockius apposita, quibus morientem excitaret, verba, & præeuntem fortiter est consecutus *. Majorem in Anglis prædonibus maritimis humanitatem experti sunt viginti homines Societatis Lusitani, petentes Brasiliam, præside P. Joanne Madureria. In Anglicas naves duas inciderunt. Commisso certamine, hostiles impetus navis Belgica, qua vehabantur, diu sustinuit: demum coacta deditioem facere, victoribus se permisit. Pares in puppis reductam partem placidè semoti, & injuria prohibiti, mensa etiam lautè ac liberaliter excepti fuere. Nonnullos ex iisdem permutavit gubernator Anglus cum suis popularibus, qui Olisippone capti tenebantur: alios in terram expositos & viatico instructos, in patriam, cum Londinum ipse peteret, dimisit. Aliquos tamen secum in Angliam deportavit: ac rogatus cur eos non perinde ac ceteros abire liberos pateretur, respondit se id quidem aliàs fecisse, verum à Regina ministris graviter fuisse objurgatum: quippe qui dicerent satius esse unum capi Jesuitam, quam decem aureorum milia in silem inferri. Idem ille anno millesimo sexcentesimo quinto maritima pugna victus & in Hispaniam perductus, testabatur non sine lacrymis, nihil sibi è

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

V

sen-

37.

P. Rogerius Filkockius Londini captus, & condemnatus.

* Psal. 117.

A. C. 1601.
Soc. 62.

* Infr. n. 38.

* Dic 27. Febr.

sententia successisse post illum diem, quo Patres in Angliam abduxerat. Conjectum in vincula Socii peramanter adire: quorum ope vinculis hæreseos & criminum solutus, indictum supplicium æquissimo animo pertulit, magna salutis æternæ spe. Tam insigne beneficium credi merito potest adeptus patrocinio Patris Madureriæ, quem singulari humanitate profecutus erat, morbo languentem, quo demum absumptus est undecimo post die, quàm in prædonum manus inciderat. Vir fuit egregius dotibus ornatus, quarum haud vulgare specimen ediderat in varijs Societatis domibus gubernandis. Unum de illo referam, unde conjectura facilè de reliquis ejus virtutibus fiet. Erat magno in pretio apud plerosque proceres Lusitanos, qui eo rectore morum utebantur. Statim atque rescitum est illum in Brasiliam proficisci, regiam statuerunt auctoritatem interponere, ne abiret. Madureria, nemine monito, insalutatis amicis, in navim subito se coniecit: relicto posteris insigni documento quemadmodum vocanti Deo sit obtemperandum; neglectis, si res poscat, quibusdam legibus urbanitatis, in quas ne peccent aliqui, maxima & gravissima primarum virtutum officia corrumpunt.

Nondum annus fluxerat ab interitu P. Filcockii, cum eadem P. Francisco Pagio præclara fors obtigit. Illum perspecta Missionis Anglicanæ utilitas ad Societatem ineundam induxerat. Post confecta Londini litterarum leviorum studia, totum se cognoscendis patriæ legibus dederat; quas ut usu ipso experientiaque condisceret, erudiendum se tradidit celebri jurisperito. Huic erat filia nubilis, quæ adolescentis moribus & ingenio captâ, illum sibi sponsum optavit. Unum votis obstabat, religio dispar. Pagius enim novam Calvinî doctrinam; illa veterem Christi & Ecclesiæ sequebatur. Venit in spem posse juvenem ad catholicorum adduci partes, si Patrem Gerardium Tomsonum, in carcere Londinensi liberius vinctum, audiret: persuadet uti hominem conveniat. Adit illum Pagius; audit, imbuitur piis meditationibus; & spem puellæ vicit. Neque enim tantum inter catholicos, secundum ejus vota, nomen scribi suum voluit; sed, quod ipsa minime cupiebat, adeo exarsit cœlestium rerum amore, ut conjugii opumque oblitus, spes caducas & bonorum infimorum cupiditatem penitus abjecerit. Frequens cum Gerardo esse; illi in omnibus auscultare; adjuvare cultores animarum, eorumque piis laboribus & gloriæ invidere. Interim ex illa liberiore custodia P. Gerardius Tomsonus in Londinensem turrinam & arctiora vincula traducitur. Orbatus hominis amicissimi consuetudine Pagius, mœrorem suum illius saltem aspectu solabatur, inambulans quotidie ad eam Tamesis ripam, in quam è Gerardii carcere prospectus patebat. Ibi spatiabatur tandiu, dum Pater ipsum consalutans, nutu aut manu bene precaretur. Observatum id ab exploratoribus, quorum plena omnia. Invadunt nec opinantem; percontantur quid agat hic rerum totos dies, tam prope à turri, tandiu, tam solus. Enimvero deambulare se ad auram frigidiorum captandam respondet. Non contenti responso pertrahunt ad rerum capitalium prætores; versant in omnem partem variis interrogationibus; componunt cum ipso P. Gerardo: cumque nihil exculperent, multa pecuniaria imposta dimitunt. Pagius, degustato laborum Apostolicorum hoc veluti experimento, sanctam illo cibo famem explere statuit, quo Christus ipse pascebatur*, cum se animarum salute ac lucro ali & refici diceret. Ergo Belgium, ubi centum quadraginta juvenes Angli excolebantur in Audomarensi Seminario, petit ad sacrarum litterarum comparanda præsidia: sacerdotio initiatur, & patriam revivit. Continuo sacramenta catholicis ministrantem propemodum oppressit militum armata cohors. In ædes Annæ Linæ nobilis matronæ, cum numerosa catholicorum manu concesserat, divinam rem facturus. Jam sacerdotali ornatus cultu ad aram constiterat, cum armata legio fores emovet. Clamor, tumultus, trepida concursatio. Vix spatium illi fuit exuendi sacras vestes, & in turbam se recipiendi prope cubiculi ostium; quo forte, dum trepidatur, recluso subduxit se, ac notas in latebras coniecit. Satellites læti arâ deprehensa, & certo sacerdotis indicio, triumphabant; cum opportune procurrens nescio quis, omnino rem ita se habere confitetur, convenisse catholicos ad sacrificium, paratas vestes, expectari sacerdotem qui jam esset adfuturus. Credito utcumque dolo, dum pars militum

excur-

38.

P. Franc. Pagius
ab hæresi revocatus,
& perductus in Societatem.

* Joan. IV.

excurrit in viciniam, pars domum scrutatur, infecta re discessum est. Abducta nihilominus & damnata capitis, quod recipere sacerdotes & occultare se fatentur, Anna Pagii felix hospita caritatis & constantiæ præmium fortiter cadendo, ut proximè narravimus, tulit.

Pagius, hoc periculo similibusque nonnullis haud improspere declinatis, ut ad ea laceffenda novo esset auctoramento paratior ac fortior, ad Societatem se aggregavit. In Belgium propediem cogitabat, ubi tirocinium poneret, cum debitam veteranis lauream tironi strenuo Deus representavit. Recipiebat se domum aliquando sub noctem, solitis laboribus defessus: respicit instare sibi à tergo mulierem, olim catholicam, sed ejurata Fide, quæsum prodendis sacerdotibus facere tunc assuetam. Maturat gradum: sequitur improba, vestigiis inhærens, & nomine inclamans, usque dum Pagius in obviam irrumpens ædes, ostio intus obferato, sequentem elusit. Patremfamilias orat, ut emittere se per posticum ne gravetur. Jam exoraverat, jam posticum tenebat; cum herus, audito clamore, quem edebat in vivo nefecia fores utrâque manu pulsans, & latere intus sacerdotem vociferans, admonetur à famulo quid rei sit; ac poenam timens retractum subito Pagium producit: quem licet comprehensum sistit Poppamo, Poppamus in custodiam dat. Crimen capto intenditur, quod natus in Angliâ, & Romano ritu sacerdos creatus, revenerit in patriam spretis, quæ id vetabant, legibus. Negavit Pagius teneri se illa lege, utpote extra fines Angliæ in Belgio natum. Legitima erat ac vera defensio: sed qui hanc audiret, non erat. Nemo tunc scilicet sacerdos Romanus innocens, nemo cruce non dignus. Hanc irrogati supplicii causam illustrissimam incredibili gaudio Pagius accepit: eoque perductus, ubi spectante populo necaretur, se sacerdotem clara professus voce, addidit nuper ascriptum in Societatem Jesu, cujus novæ militiæ sacramentum libens moriendo sanciret. Staturque dejectus è scalis, suspensus, dissectusque est, anno MDCII. tertio Kal. Maias. Aiunt illum, priusquam infame plaustrum quo fontes devehî solent, conscenderet, divinis, quibus in carcere circumstuebat, gaudiis deliciisque destitutum, repentino metu ac tristitia obriguisset. Quod cum Henrico Floydò egregio sacerdoti, qui tenebatur eodem ergastulo, aperuisset, ejus cohortatione ac precibus confirmatus est, ut acerbissimam carnis cum spiritu, Christi exemplo, sustineret luctationem; donec pristina lux oborta noctem hanc depelleret. Ita suos sæpe milites imperator cœlestis exercet, tum ut coronam augeat, tum ut intelligatur ejus copiis auspiciisque vincant.

Respirare visa est Angliâ catholica post Elifabethæ mortem. Hæc in Aprilem anni MDCIII. incidit. Solium Angliæ tenuerat annos tres & quadraginta; diutius quàm expediret religioni, cujus in perniciem statim ab inito regno conjuraverat; antea ejus quidem hostis, at occulta; tunc vero palam inimicitias professa & odium capitale, quod nunquam deposuit. Cum enim nata esset * ex Anna Bolena, quam Henricus VIII. Angliæ Rex contra jus fasque in tori confortium adsciverat, superstite legitima conjuge; cerneretque incestas nuptias à Romano Pontifice condemnatas, ejus auctoritatem & obsequium abdicavit. Quare anno MDLIX. solenni senatus Anglici decreto spuria mulier, & solio per leges patrias vel eo nomine prohibita, sibi jus summum & potestatem in res & causas Ecclesiasticas arrogavit, seque caput Ecclesiæ Anglicanæ dici jussit: quamvis initio, quia femineum Ecclesiæ caput multis adhuc displicebat, se gubernatricem duntaxat Ecclesiæ nominaret. Inde sacrosanctum Missæ sacrificium, & quas libuit carimonias abrogavit; Episcopos catholicos gradu motos conjecit in vincula; bona Ecclesiastica sisco addidit; multa pietatis antiquæ vestigia, quibus Henrici VIII. furor pepercerat, petulantissime protrivit; Summorum Pontificum monita, minas, anathemata sprevit; religionis monstrum è Luthero, Calvino, Zuinglio, magis tamen è Calvino, concretum fabricata est. A sanctorum sacris cineribus, quos ludibrio habuit, vexandis, ad vivorum corpora fortunæque lacerandas progrediens, divitibus catholicis nummos, libertatem integris, magistros veritatis plebi, honores nobilitati, vitam innumeris, eripuit. Scotos intestinis collisit discordiis, & adversus Mariam Stuartam, ipsorum reginam, cujus in Angliæ regnum

39.
Quomodo cap-
tus, & capitis
damnatus.

A. C. 1602.
Soc. 63.

40.
Mors Elifabe-
thæ.

* Anno 1533.

A. C. 1603.
Soc. 64.

jura non erant obscura, incitare non destitit. Ipsam autem Mariam ad se confugientem, habuit in durissima custodia per annos undeviginti; ac demum ferro carnificis, ut regnare tutius posset, subjecit*. Ut vero pacem retineret domi, alebat bella inter vicinos Principes, quorum alios nuptiarum dotalisque regni spe, alios armorum metu deludebat; sua commoda ex illorum credulitate incommo-
 modisque comparans: quam ob solertiam, nec paucas ingenii & eruditionis doctes, mirantur illam & pradicant infelices quaedam & *curva in terras animæ*: cum vera imperii gubernandi ratio, à probitate vera & religione non possit esse disjuncta. Senectutem suspicionibus inquietam ægrè traxit, iis diffidens & invisâ, quos habuerat aliquando carissimos. Ex eo numero cum Essexiæ Comitem capite damnasset, tantum inde marorem hausit, ut Martio exeunte inciderit in morbum, cui levando secessit in regiam villam. Ibi se destitutam desertamque subito sensit ab iis, à quibus antea colebatur; more Principum senescitum, quos aula sua deserit; orientem, uti dicitur, solem respicere solita, despiciere occidentem. Tum enimvero dolori se ac fastidio dedere; erumpere in miseros ejulatus; medentium aspectum & curationem fugere; lucem ipsam averfari. De successore interrogata, Jacobum Scotiæ regem, Mariæ, quam interfecerat, filium nominavit; duabusque ante mediam noctem horis, nullo dato pietatis aut pœnitentiæ signo, regno & vita cessit*.

* Anno 1587.

* Die 4. April.
1603.

41.
P. Guillelmus
Westonus, &
Rudolphus E-
merfonus exilio
donati.

Post ejus obitum Angliæ proceres, ut præteritæ notas crudelitatis abolerent, neve Jacobi regis, qui primus omnium Angliam, Scotiam, & Hiberniam unius diadematis vinculo conjungebat, fausta primordia tot innocentium luctu funestarent, recludi carceres, frangi vincula, equuleos & patibula removeri jussere. Prodierunt ex omnibus Angliæ provinciis (quis enim locus carcere, quis carcer catholicis vacabat?) Christi milites fortissimi, gloriosa militia suæ monumenta in attritis corporibus præferentes, pœdore obsiti, debilitati cruciatibus, inedia, macieque deformes; at hoc solatio læti, cum in exilium proficiscerentur, quòd patriam carissimam tot obrutam calamitatibus, & rursus in hæresim ac pristina revolvendam mala, non viderent. In iis qui Audomaropolim appulerunt, quinque Societatis homines numerabantur: duo insignes præ ceteris, P. Guillelmus Westonus, & Rudolphus Emerfonus: qui per viginti ferè annos in luridis & tenebrosis sepulti ergastulis, ad novam lucem, verius dixerim ad vitam è diuturna morte revocati, & à Sociis gratulantibus accepti sunt. P. Guillelmus, seu Edmundus, Westonus, in carcere Wisbicensi per annos decem jacuerat, cum ob novas suspiciones deportatus Londinum fuit: ubi annis admodum quatuor in intro tam pestilenti habitare coactus est, ut affirmaret, quidquid antea dolorum & morborum toleraverat, non fuisse cum diurno hujus ergastuli cruciatu comparandum. Tot malis undique obsessa viri fortis constantia perstabat invicta, & ipso eminebat in vultu: eamque carceris custos, licet ferus & immitis, admirari & prædicare non cessabat. Quamobrem, cum primum est emissus è custodia, illum adhibuit domi suæ convivam, & omni honoris significatione discedentem persecutus est. Par erga eundem aliorum hæreticorum, ob virtutis famam, existit veneratio: catholicorum etiam major, qui effusi certatim in litus, utque bene ipsis precaretur orantes, vix abeundi* copiam fecere. Caletum à regis custodibus deductus, inde Fanum S. Audomari, postea Vallisoleum tenuit: qua in urbe Seminarii Anglicani curam gerens, vitam produxit usque ad annum MDCXV.*

* Die 3. Maii
1603.

* Ejus vita sum-
m habes hic
m. 139.

Rudolphus Emerfonus, unus è tribus, qui omnium primi ad Anglicanæ missionis expeditionem delecti sunt, P. Edmundo Campiano datus comes, eo gloriosa defuncto nece, PP. Crittonium & Holtum in Scotiam est secutus. Galliam postea repetiit: unde cum P. Westono ad Anglicos labores ac pericula revertens, in ipso aditu deprehensus est, librorum piorum indicio, quos catholicorum in usum bene multos ferebat. Mutatis identidem carceribus, vitam in squalore ac tenebris per annos viginti latus exegit. Ita illum P. Gerardius describit: Rudolphus Emerfonus, inquit in quadam epistola, staturâ pusillus fuit, animo excelsus; malorum tolerantissimus; valde pius, & germanus Societatis alumnus. Ab algore carcerum & cetero vitæ laboriosissimæ cruciatu paralytim contraxerat; novisque con-

constrictus molestissimi morbi vinculis, & dimidia sui parte diu mortuus, totam retinuit semper ingentis animi, angusto in corpore ac fracto, vim & libertatem, quam ipsi plenissimam fortunata mors attulit Audomaropoli*, paulo postquam in hanc urbem generosus exul advenisset.

* Anno 1604. 12. Martii.

MAGNAM spem catholicis Anglis faciebat Jacobi Scotiæ regis optatus ad solium Anglicanum accessus; tum ob Mariæ Stuartæ, ejus matris, à qua sanctè fuerat educatus, pietatem; tum quia palam se catholicorum defenforem fore professus erat. Incautam adolescentis Principis mentem abalienare cœperat à Romana Fide ac ritibus Elisabetha; cujus inter ceteras regnandi artes ea peculiaris fuit, ut Scotiam addictam sibi ac pacatam teneret. Hanc triplici vinculo quasi adstrictam, dum viveret, habuit: hæresi primum inducta & corroborata: deinde incusso Anglicæ potentia metu: tum largitionibus & auro, quo proceres ipsūque Regem Scotiæ demulcebat. Accessit alia, quæ Regem à catholicis abduxit, causa; nempe regni Anglicani aliquando possidendi spes & cupiditas: qua usque eo incensus ferebatur, ut in solium scandere, calcata religione catholica, non dubitaturus esset; illiusque cultores eatenus amaret, ut illos ad regnandum haberet adjuutores: Principum nonnullorum more, qui rerum dominam Religionem servare suis commodis ac sceleribus sæpe cogunt. At vero cum se compotem voti, hæresimque dominantem in Anglia jam sua vidit; rarus eam sibi ad retinendum regnum necessariam, totum se illi dedit. Intervēnit hortator haud levis, Robertus Cecilus: qui aulicis artibus gratiam Elisabethæ aucupatus, ad summam auctoritatem obreperat, eamque astu non dissimili retinuit sub Jacobo. Vastum hominis ingenium; odium catholici nominis inexpiabile; odio potentia par. Itaque serendis in loco sermonibus ambiguis, suspicionibus incutiendis ac terroribus, adeo invisos Regi catholicos reddidit, ut eos radicibus exterminare decreverit, tanquam veritatis hostes & suos. Novos currenti stimulos addidit magistratuum avaritia multorum & improbitas. Illis hortantibus publico edicto prohibuit alterius cujuslibet, præterquam Parliamentariæ, ut vocant, religionis usum. Perlatum hoc edictum exeunte Septembri anni MDCV. Proscripti fuere sacerdotes, quod abducerent homines à Fide, quam rex profitebatur. Tum dicebantur civilem gubernationem perturbare. Nempe catholici suarum litium arbitria nonnunquam ad sacerdotes deferebant. Quæstum hunc perire sibi doluerunt jurisperiti & forenses operæ; quæ, ut medici funeribus ac morbis, ita civium diffidiis & litibus aluntur. Nec nihil momenti ad inflammandam in pietatis cultores Regis iracundiam attulit impius scriptoris Puritani liber. Puritanos Angli vocant Calvinistarum quoddam genus, puriorem & severiorem Calvinii doctrinam profitentium. Illi non solum catholicos angue pejus & cane, uti dicitur, fugiunt; sed receptam quoque in Anglia disciplinæ Ecclesiasticæ imaginem, auctoritatem Episcoporum & regimen, liturgiam, & alia quæ Romanos olere putant ritus, detestantur. Viguerunt maximè in Scotia; unde in Angliam progressi gravissimas seditiones conciverunt. Ex hoc igitur grege scriptor impurus edito libro conabatur ostendere catholicos, eo solo nomine quod essent catholici, censendos proditores ac reos majestatis. Hoc virulento scripto imbutus Princeps præscas leges contra illos ab Elisabetha latas recentibus durioribusque cumulavit: eosdem tributis oppressit, vexandos & spoliandos impune delatoribus objecit: demum frequenti senatu in Romanam invectus Ecclesiam & Fidem, ei nullum deinceps in Anglia, se vivo, locum fore denunciavit. Neque aliter ac denunciaverat, fecit: tamque miserabilis evasit repente catholicorum conditio, ut Elisabetha desideraretur. Sed erumpit sæpe in furorem victa malis patientia: nec populorum rectoribus quidquam æquè videndum est, atque ut imperium exerceant leniter; seque dominos quidem suorum, at simul patres esse meminerint. Documento est Regii Vatis nepos*, juvenili deceptus consilio: ac simile quidpiam Angliæ regi fortasse contigisset, nisi Providentia Numinis, regnorum ac regum arbitra, fabricatam in ejus exitium conjurationem disjecisset.

Robertus Catesbyus, juvenis genere, opibus, ingenio ac vetustæ studio religionis præstans, miseram catholicorum vicem tanto dolebat impensus, quanto in

S. III.
TERTIA VEXATÆ
IN ANGLIA SO-
CIIETATIS CAUSA.

42.
Jacobus Angliæ
Rex. Angli Pu-
ritani. Vexatio
Catholicorum.

A. C. 1606.
Soc. 67.

* Roboam. III.
Reg. c. 12.

in dies magis illam ingravescere cernebat. Idem cum eo dolebant ejus amici, maximè Thomas Winterus, Thomas Perceyus, & Joannes Wrightus. Sape aggressi Regem odio Romanae Ecclesiae flagrantem mitigare; conati etiam efficere, ut in scribendis conditionibus pacis Angliam inter & Hispaniam compositae, aliqua ratio catholicorum haberetur: ubi proficere se nihil vident, ad immane facinus & catholicis indignum mentem appulerunt. Indicta fuerant anno MDCV. ordinum regni comitia (Parlamentum Angli vocant) in V. Non. Octob. Londinum undique confluebant proceres, & quidquid in Anglia inimicum praecipuè catholicis atque infestum erat. Igitur subter ingentem aulam, in quam senatus congregari solet, acto clam cuniculo, magnam vim nitrati pulveris congerunt; & igne subjecto domum, Regem, omnem confestum perdere constituunt. Arcessunt è Belgio cuniculi militaris componendi peritissimum artificem, Guidonem Faucesium; funesti operis laborem & partes inter se describunt, idque in primis cavent, ne qua feralis incepti suspicio permanere ad Patres possit, quorum scilicet mentes ab ejusmodi consiliis prorsus abhorrere intelligebant. Fallere tamen omnino Garnetum non potuerunt. Exstant magnorum facinorum in ipso vultu indicia, & latentis animi proditores oculi sunt. Ex abruptis Catesbyi sermonibus, ex ore turbido ac trepidatione illius fociorum, truci denique silentio, sensit aliquid ab iis publicam in perniciem moveri. Neque verò ipsum latebat communis catholicorum in tot malis dolor, vix oneri jam ferendo par.

44.
P. Henricus
Garnetum illam
subodoratur, &
impedire modis
omnibus tentat.

Cum tamen nihil certi deprehenderet, omnesque ad investigandum quod quaerebat, aditus videret obstructos; huc animum & cohortationes contulit, ut cunctos ad patientiam & obsequium universè accenderet; ut fortunam & calamitatem, quaecumque esset, vincere fortiter sustinendo, quam ferociter & inconsultè repugnando excutere mallent. Ista cohortationes permolestè Catesbyus tulit; vel quod notari se crederet; vel quod timeret vehementer, ne qua parte facinus audax perluceret; neve conjuratos retardaret metus quispiam ac dubitatio. Quin etiam Patres Societatis tanquam rationibus catholicorum adversarentur, ac nullo tantarum calamitatum sensu moverentur, accusavit. Hoc ubi Garnetum animadvertit, potentiorum adhibere machinam statuit frenandae adolescentum impotentiae; Romani scilicet Pontificis auctoritatem, qua nulla in terris sanctior. Itaque litteras Romam arcanis conscriptas notis mittit; quibus significabat catholicos fere omnes in desperationem actos: jam illos de Societatis hominibus conqueri, per quos stare dicerent quominus jugum durissimae servitutis à proborum cervicibus dejiceretur: vereri se ne in tetrum aliquod facinus compressa diu odia prorumperent. Rescripsit Garneto Claudius Aquaviva, omnibus viribus entendum esse, ut violenta consilia catholici deponerent, ipsis ac religioni funesta, & Societati etiam nostrae, quae illorum auctor aut particeps diceretur. Ita sentire Summum Pontificem, ita velle. In eandem sententiam scripsit Pontificis nomine Personius. Has Catesbyo litteras Garnetum ostendit: orat, obtestaturque ut, si quid per vim ac tumultum moliantur, abstinent incepto: sic jubere Pontificem Maximum, quem vices Christi gerentem in terris audiri à catholicis omnibus aequum sit. Catesbyus multa dissimulante caufatus, respondet certum sibi esse Pontificis mentem exquirere diligentius, ac porro quodcumque jusserit exequi. Accidit opportune ut in Belgium ad Alberti Archiducis castra profectionem adornaret Edmundus Baynhamus, Anglicarum rerum scientissimus, idemque religionis studiosissimus. Hunc idoneum putavit Garnetum, qui ad Nuncium Apostolicum* in Belgio degentem, imo etiam ad Pontificem Romam usque, si esset opus, excurreret. Non modo probare visus est Garneti mentem Catesbyus, verum etiam quo longius eum ab omni suspitione veri, quod animo tegebat, consilii abduceret, ad eadem Archiducis castra velle se proficisci affirmat: equos, milites, arma parat (quibus nimirum ad facinus destinatum, cum res matura esset, uteretur) tanquam profecturus brevi, ut omnes rebantur, utque ipse passim vulgabat, in Belgium ad opem Alberto contra foederatos Batavos ferendam; sancta nuper Anglos inter & Hispanos pace. Urebat nihilominus adolescentem hic serupulus, & interdum animo anxie recurfabat; futuros in eodem loco & comitiorum

* P. Garneti litteras ad Nuncium Apostolicum recitat P. Henricus. Morus lib. VII. n. XXXI. Alias ejusdem affert P. Eudamon Joannes cap. IX.

tiorum cœtu, cum hostibus Fidei, plurimos catholicos sibi ac religioni amicissimos: nec pauciores spectandi duntaxat studio adductos. Æquitati parum videbatur esse consentaneum, tot innocentes, tot amicos, eodem cum inimicis & fontibus exitio involvere. Hunc scrupulum ut sibi demeret, Garnetum adit; ac sermone de Belgicis rebus injecto, Quid faciendum censet, inquit, si Batavi perduelles in aciem secum educant milites catholicos? an illos cum Batavis pariter, si res aliter geri & victoria parari nequeat, occidi posse? Cum Garnetus, quo pertinerent ista non videns, candidè quod res postulabat, quodque alii Catesbyo sacerdotibus omnes ad unum asserabant, respondisset; transtulit responsionem Catesbyus ad id quod animo volebat, seque in proposito magis obfirmavit: parum sanè consideratus (& alioqui cæcus est omnis ingens, in sua præsertim causa, dolor) qui non videret longè aliud esse perduellium exercitum concidere justo, & indicto publica auctoritate bello; aliud, vim & arma in Regem legitimum ejusque regnum, privata potestate consilioque vertere.

Opprimere increpantis conscientie vocem difficile est, nisi quis efficiam ac perditæ sceleratus sensum omnem probitatis abjecerit. Catesbyus secum reputans magnitudinem designati facinoris; Pontificis iussu; periculi, si res malè caderet, gravitatem, discruciabatur animo, quòd Garnetum rem tantam celavisset, cujus arbitrio hæcenus omnia sua permittere ac moderari esset solitus. Subibat ea cogitatio, non esse metuendum ne sacerdos arcani violaret fidem, si aperiretur conjuratio in sacro tribunali confessionis; aut ne veritatem dissimularet, si quid ipsi pugnare cum æquitate videretur. Latère aliquid in ejusmodi consilio posse, quod adversaretur Divinæ legi, quodque aciem hominum vulgari præditorum eruditione ac virtute fugeret, Id si esset ita, incœpto desistendum; si secus, majori cum fiducia prosequendum. Hoc jactatus æstu existimavit consultius fore ac tutius, Garnetum non proxime ac per se alloqui, sed veluti procul ac per interpretem. Igitur Grienwello, uni è nostris sacerdotibus, dum apud eum peccata deponeret, meditatum facinus, interposita sacramenti religione, confitetur: diuque illi gravissimis rationibus dissuadenti reluctatus, ad extremum facit potestatem negotii cum Garneto communicandi: ea tamen conditione, inquit, ut neuter vestrum aperire, quod modo tecum loquor, possit ante quàm id aliunde sit vobis compertum; ac tandiu arcani sacra lege uterque teneatur, donec tota res patefacta fuerit. Garnetus supra quam credi potest expavit. Eo jubente Grienwello redit ad Catesbyum, nihilque intentatum relinquit, quo secti frangique obstinatum juvenem posse crederet. Id unum visus est obtinere, ut quiesceret donec è Belgio Baynhamus reverteretur. Instabant nihilominus operi diu noctuque conjurati. Murum immanem, quo nitebatur aula comitorum, perfodiunt: coemunt vicinas ædes, & rebus omnibus instruunt; ita ut sub finem Aprilis anni MDCV. parata ferali machina, nihil nisi diem comitorum opperirentur. Ea varias ob causas usque in sequentem annum fuere dilata, Socios ipsi novem alios adsciscunt, accinctique ad diem dictam omnes excubant. Interim delecti tota ex Anglia properes Londinum confluebant, devotæ flammis victimæ. Aliter Numini visum. Treshamus, è conjuratis unus Baroni Montaquilæ familiari suo miserat epistolam, qua breviter amicum admonebat, ne accederet ad comitium, si capiti consultum suo vellet. Ille, ut erant plena delatorum & insidiarum tempora, ne quid periculi ab hac epistola sibi crearetur metuens, eam è vestigio defert ad Robertum Cecilium; Cecilium ad Regem: qui non aspernandum indicium ratus, & ingenio per se acer, atque ipso metu factus acrior, dum singulos epistolæ apices expendit, suspicatus est id quod erat, sibi ac suis pestem cuniculo parari. Jubet actutum lustrari, clam tamen & dissimulato consilio, vicinas aulæ quò senatus conveniebat, ædes & subjectas parietibus cellas. Magna vis lignorum congesta reperitur in Thomæ Percy domo, unius è conjuratis. Fecit incendii parati suspensionem strues tanta lignorum. Ad ea evolventa submissi certi homines ante lucem, ipso die ad primum senatus confessum destinato (Nonæ Novembres erant) deprehendunt Guidonem Faukesum abditum in angulo, cum ardente lucernula, cum funiculis stupeis sulphure intinctis, & horologio ex arena: præterea ocreatum,

45.
Conjuratio aperitur P. Garneto, sed interposito sacre Confessionis arcano.

tum, ut, igne supposito, in paratum equum insiliret. Involant improvise, comprehendunt, vinciuntque. Remotis lignis apparuere doliola septem & triginta, nitrato referta pulvere. Productus ad regii consilii proceres Faucesius, ubi vidit negandi non esse locum, se famulum Perceyi ultro confitetur: nec modo non inficiatur factum, verum etiam defendit; in coque mali nihil esse affirmat, nisi quod infectum sit. De conjuratis interrogatus in favissima, qua tortus fuit, quaestione, omnino siluit. Neque ab eo quidquam unquam expressum de illis ante fuit, quam ipsi se aperuerunt. Quippe Londino mature digressi, palam ad arma conclamantes, collecta manu constiterunt ad centesimum ab urbe lapidem, in Hunfredi Littletoni catholici nobilis aedibus*: ut ibi se contra regios, qui instabant, satellites tutarentur. Inde prorumpentes in armatam, & circumfusam aedibus cohortem Catesbyus & alii tres conjurationis principes concisi militum gladiis ceciderunt: reliqui palantes temere, aut vulnerati, Londinum reducuntur, ubi lata in eos sententia capitis est. Sententia, ut sit, praeponebatur rei gesta narratio. Rogati an veram agnoscerent, negarunt; propterea quod multa essent immista de Societatis Patribus, veluti consciis auctoribusve conjurationis, quae scirent esse falsissima. Id a regis administris de industria factum. Sperabant fore ut conjurati, confirmando quae suam ad causam proprie pertinebant, quaeque jam fuerant confessi, praeirent imprudentes illa, quae subtiliter intexta de Patribus erant; qui deinde pro legitime convictis ubique gentium haberentur. Spes illos sua fefellit. Neque tamen destiterunt Garnetum aliosque palam traducere, tanquam participes, imò architectos conjurationis. Aiebant credibile non videri catholicos facinus tantum esse aggressos iis non consultis, aut invitis. Proferebant verba quaedam Thomae Batesii, in quibus satis argumenti putabant esse ad eosdem in hujus criminis conscientiam & partem vocandos. Erat Batesius Catesbyi servus, in consilii societatem ab hero adscitus, propter indolem impigram, & perspectam domino fidem. Ille renunciaverat Patres Garnetum, Grienvellum & Gerardium, solitos esse tribus conjuratorum ducibus aures, cum peccata sacramento expiant, dare, Addiderat, non ita pridem vidisse se Garnetum cum Catesbyo colloquentem, alteriusque ad alterum epistolas tulisse; in quibus tamen quid esset scriptum nesciret. Item Garnetum esse Wintero, uni e conjuratis, addictissimum. Quae ut vera essent omnia, nihil inde colligi tamen poterat, quo quisquam e Patribus conjurationis vel auctor vel conscius probaretur. Ausus quinetiam Faucesius exprobare in os iudicibus malam fidem, qui Societatis homines eo implicarent facinore, cujus nos, inquebat, inventores soli ac ministri exitimus: prodeat si quis illos accusat, ac testimonium dicat. Obmutuisse iudicum calliditatem liberis perstrictam vocibus constat: & unum e regis causidicis, ne nihil diceretur, respondisse hunc esse fori usum ut in exponendis causis appellarentur nominati omnes, in quos aliqua suspicio conveniret. Subjunxit plura Cookius fisci advocatus, e medio conviciorum acervo sumpta; quae nihil ad rem pertinebant. Accessit aliud Patrum innocentiae luculentum testimonium. Thomas enim Batesius, cujus modo meminimus, cum se delusum vidit, ademptamque necis vitandae spem qua laetatus erat, misit moriturus ad amicum sacerdotem epistolam*

46.
Deregi conjurati partim fugiunt, partim comprehenduntur.

* *Di 8. Novemb.*

47.
Jesuita falso de conjuratione accusari.

*Recitat integram
Morus Lib. XII.
n 22. & Eudem.
cap. I.*

48.
PP. Garnetus
Gerardius, &
Grienvellus
proscribuntur.

Patrem Gerardium Everardus Digbyus nominatim purgavit. Hunc tamen Robertus Cecilius perditum miserè cupiens, tanquam unum e praecipuis auctoribus conjurationis, conquiri tanto furore iussit, ut coactus fuerit silvarum invios recessus captare, in quibus diu latuit, a feris quam ab hominibus tutior; & in antrum quoddam se abdere, ubi fame & frigore propemodum eneatus est. Hinc nihilominus innocentiam suam tor appetitam telis defendit, scriptis litteris tribus ad primarios regni ministros Ludovicum Stuartum, Henricum Houvardum, & eundem Robertum Cecilium, Houvardus epistolam ad se missam ostendit Regi qui

qui cum eam attentè perlegisset, professus est, alio argumento nequaquam opus esse ad probandam P. Gerardii innocentiam. Æstuabat Cecilius, cui Patres Societatis certum erat perdere. Sperabat etiam ab iisdem, si comprehensi forent, rescire se posse quorundam nomina conjuratorum, quos de sua præ ceteris nece conspirasse suspicabatur. Itaque Regem urgere non cessavit, Anglicanæ religionis famam, Principis dignitatem & caput periclitari clamitans, nisi reos conjurationis atque auctores esse denunciaret PP. Gerardium, Garnetum & Grienvellum. Edictum ergo conscribitur. In eo singulorum pingebatur statura, vultus, capillorum color, ac totius oris conformatio: addebatur merces ampla, si quis illos comprehenderet: pœna, si quis exciperet occultaretve: mandatum, ut omnes omnem ad comprehendendos operam & conatum afferrent. Tot inter oculos, ad sacerdotum trium perniciem ubique apertos; inter tot imminentium proditorum manus, evasit impune P. Gerardius in portum, unde Belgii & Hispaniæ legati solvebant; cumque illis Flandriam incolumis tenuit. Grienvellus, quod erat audacissimum, id tutissimum ratus, mutato quantum potuit ore cultuque, via regia Londinum ingressus est. Ibi promiscua multitudo permistus propositum contra se edictum otiosè legebat; cum observatum inspectumque diligentius nebulo circumforaneus agnovit; & injecta manu, Nosco te, inquit: sequere hinc rectà in carcerem; ita Rex jubet. Pater, sedato vultu, alium atque esset existimari se dicitans, altercansque leniter, sequitur; quoad ventum est in vicium infrequentem ac pæne desertum. Illic enimvero cum ductore suo strenuè colluctatus, ab eo se expedit, ac nota per diverticula suffugiens, Londino statim, pauloque post Anglia tota, excessit.

Unus, qui omnium instar erat, Garnetus nefaria proditiōe nobilis catholici, decidit in paratos diu laqueos, & impiorum gaudia cumulavit. Nempe sic habebant persuasam, hunc solum plus valere ad catholicam rem consilio, verbis & exemplis sustentandam, quàm valeret ipsi ad eam edictis cruciatibusque labefactandam. Nullus torquebatur ab annis decem & octo catholicus, nullus rapiébatur in jus, quin primum illud ab eo quæreretur, nossetne Garnetum, ubi Garnetus esset, ecquid de Garneto resciret; quis ei amicus, quis hospes, quæ latebra. Sæpe accidit ut, dum effugeret per posticum, milites immissi domum adversa subirent porta. Sæpe, dum nostros unum in locum magno numero collectos haberet deliberandi vel precandi causa, subitus adfuit ab urbe nuncius, qui exploratores instare admoneret. Garnetus receptui statim canens, tanquam providus imperator, singulis certas catholicorum domos, quò se recipere, assignabat, ipse omnium postremus consulebat sibi. Per annos ferè octo tranquillus ac tutus in Londini luce oculisque civium versatus est. Villicum Angli nobilis & actorem tota credebatur vicinia; tam graphice in hanc speciem se assimulaverat! Nihilominus personam tot annos bellissimè gestam deponere, notamque domum deferere coactus est exploratoris, à quo se curiosius vidit observatum, metu. Extrusum statione diurna, & incertum quò se verteret, Pater Eduardus Oldcornus in ædes Abingtonorum, ubi jamdudum ipse considebat, invitavit. Castellum erat amplum, ad tertium ab urbe Vigornia lapidem: Henlipum vocabant. Variæ, ut in ingenti domo, partes, sed pervio usu ita inter se nexæ, ut labyrinthum diceres: quem satellites ingressi sæpe ad sacerdotes investigandos, inextricabili conclavium errore defatigati abscesserant. Hoc in castello, ut in arce firmissima, jam ab annis sexdecim religionem tutabatur P. Eduardus Oldcornus, quem Hallum vulgo appellabant: quo nomine, tanquam affinis & propinquus Abingtoni, non solum catholicis, sed ipsis quoque hæreticis notus & carus, propter mores suavissimos, erat. Huc è tota provincia consuebat pietatis ergo catholica nobilitas; & Oldcorno sacramenta ministranti, concionanti, sacrificanti operam dabat. Illic sæpe cum ceteris adfuerat Hunfredus Littletonus ille, qui conjuratos egressos urbe statim post detectam conjurationem, uti prædiximus*, acceperat in suas ædes. Eam ob rem conjectus in vincula, & morte multandus, existimavit infelix veniæ locum fore, si Patrum latebras indicaret. Abingtoni domum nominat: ibi cum Oldcorno Garnetum docet habitare. Tam optato

49.
PP. Henricus
Garnetus, &
Eduardus Old-
cornus capiun-
tur.

* *Supra. n. 46.*

indicio incredibilem in modum exultans, advolat cum ducentis equitibus Henricus Bromleyus, Puritanorum longè impurissimus, huic negotio prapositus à senatu, & Abingtoni prædiis suo fundo vicinis jampridem inhians. Castri muros parte militum cingit: partem secum ducit ad valvas: quæ dum tardius de industria referantur, postes januæ disjicit, ac per muri labem irrumpens, clavès domus accipit; & ubique, ut in capta urbe, præsidia disponit. Diebus octo scrutatus omnia, cum cæcos latibulorum aditus arte nulla deprehendèret, decrevit ad extremum pro scalis, cubiculis, angulis excubare tandiu, dum fames ubicumque inclusos aut conficeret, aut coheret erumpere. Nec absuit consilio successus. Duo famuli enecti propemodum fame, ac Patribus quos inedia brevi perituros videbant, consulere cupientes, emergunt è latibulo in quod se cum illis trepidè conjecerant. Statim comprehensi, alter se Oldcornum, alter Garnetum esse mentiuntur: nimirum arbitrati se confestim abducendos, & Patres periculo liberandos. Sed admoto lumine propiùs attentiusque inspecti, vocatis qui utrumque sacerdotem norant, detecta fraus est, ac redintegrata quærendi cura. Aliquot præterea dies consumpti evertendis parietibus, frangendis tabulatis, deturbandis laquearibus, quorum in uno egregiè picto reperta demum, quæ tot labores bene pensabat, præda. Rem feliciter gestam fausti plausus consecuti. Advenit nova Londino satellitum cohors: quibus in mediis Garnetus & Oldcornus, velut in triumpho, deportati sunt. Quamquam hic veriùs patientiæ, modestiæ, & caritatis triumphus fuit: quarum virtutum odore suavissimo delibuti sensim Bromleyus ac nobiles plurimi, qui se Bromleyo comites addiderant honoris aut præsidii causa, Garnetum præsertim, ejusque doctrinam, pietatem, moderationem mirè prædicabant: ac triduo post, cum è carcere productus primum est, eundem inusitata quadam honoris significatione sunt prosecuti. Ejus vero primoribus responsis ita deliniti fuere judices, ut eorum unus dicere palam non dubitaverit, in tam egregii viri moribus & causa nihil esse posse, præter doctrinam Papisticam, quod severitatem judicum reformidaret. Sed quia deliberatum catholicæ religionis hostibus erat Garnetum nomine conjurationis necare, quærendus accusationis modus & color fuit. Is nisi post quatuor menses repertus non est. Oldcorni causa quia erat expeditior, prius decisa. Tria illi objiciebantur. Primum, quòd Garnetum invitasset ad latebras in Abingtoni domo captandas: alterum, quòd similiter duos è conjuratis occultandos Patri Joneso per litteras commendasset: tertium, quòd conjurationem suis responsis approbare visus esset. Horum trium unus proferebatur testis ac delator, spe vitæ ac veniæ ad accusandum inductus, Hunfredo ille Littletonus. Primum caput Oldcornus ita purgabat: invitatum quidem à se Garnetum ad latebras; sed ante quam id vetitum edicto fuisset. Ad secundum caput quod attinet, negabat ullas à se ad P. Jonesum scriptas, ad commendandos illi conjuratos, litteras. De conjuratione, quòd tertium erat, ita se locutum affirmabat cum Hunfredo Littletono, ut eam minime approbare: ac si quid obscurius dixisset, nec satis enucleate, idcirco se ita locutum fuisse, quòd timeret ne insidiosè interrogaretur*. Cum ea responsio judicibus non satisfaceret, aliam exprimere multo cruciatu conati frustra sunt; eoque demum coacti devenire, ut dicerent Oldcornum ex animi sui sententia nequaquam locutum esse: verbo conjurationem improbasse, quam animo approbare: ac innocentem quidem ex iis quæ palam enuntiasset, apparere; at ex iis quæ animo celasset, perspicuè reum esse. Omitto alia ejusdem generis inepta, falsa, & ab omni non aequitate solum sed etiam ratione aliena, quæ in Actis & narratione torius causæ per eos in lucem edita leguntur: quale est istud, exempli causa, quòd affirmatè ibi dicitur, à nemine reorum quæsitam tormentis veritatem; ab ipsismet declaratam ultro, & ipsorum ab ore per scribas publicos exceptam. Vidit Londinum conjuratos, cum traherentur ad supplicium, ita cruciatibus debilitatos, vix ut proferre gradum possent: ipse Oldcornus, quem profecto decebat mitius haberi, quippe qui levissima tantum conjectura premeretur, audiente omni populo affirmavit se quinque tortum; ac semel per horas quinque continuas ita discruciatum, ut animus ipsum ac pæne vita deficeret. Cui contestationi nullus judicum qui aderant quid-

50.
P. Eduardus
Oldcornus capite
damnatur.

*Vide Eudæmon-
Joannem in Apologia
Garneti,
c. 9.

quidquam opposuit : ac , si quid opposuisset , abunde refutatam ipsius Oldcorni tacito aspectu fuisset . Dissoluta brachia , luxatæ manus , crudelitatem impiam , fatis redarguebant . Itaque ferali sententiæ nomen suum subscribere nequivit , inferensque calamum inter emortuos ejus digitos apparitor , manum duxit languidam , & incompositas aliquot voces exaravit .

At judices verecundia deterriti , cum sententiæ contra P. Oldcornum latæ iniquitatem jurisperiti Londinenses permulti haud obscure arguerent , eum Vigorniam , ubi minore invidia periret , amandarunt . Ductus cum illo pariter est Thomas Abingtonus ; item Winterus , unus è conjuratis . Littletonus mori cum illis jussus , postquam se deceptum & vitæ spem ereptam vidit , palam de proditione confessus est : ac merito se mori declaravit , quòd Oldcornum & Garnetum infantes neci objecisset . Ab Oldcorno petiit supplex veniam falsi , quod contra ipsum dixerat , testimonii , perfidiam publicè detestatus . Maximo P. Oldcornum solatio affecit non hæc solum hominis catholici pœnitentia ; sed etiam Calvinistæ juvenis perditissimi , ad meliores transeuntis partes , repentina mutatio . Eodem atque Oldcornus carcere inclusus debitas sceleribus suis pœnas postfridie daturus erat . Ea Calvini doctrina est , nemini , qui modo retineat fidem in Christum , periculi quidquam aut exitii post mortem imminere : expuncta nimirum , satis superque nostra omnia nomina per Christum Servatorem ; cui proinde faciat injuriam quisquis necessariam adhuc illis delendis pœnitentiam arbitretur . Hac inani fiducia fretus adolescens catholicos , pie ad mortem se comparantes , stolide ridebat , saltitans tora nocte cantansque . Sed illum , post oblatas impensius Deo preces , adortus blandè Oldcornus dedocuit , & ad scelerum detestationem impulit : postremò cum Ecclesia reconciliatum , abjectis erroribus , cum Deo quoque in gratiam sacræ confessionis beneficio reduxit . Lætus ea victoria processit ad supplicii , vel potius gloriæ , theatrum VII. Id. April. Ut ventum est in conspectum populi , elata voce Deum testem fecit , duas ob causas mortem irrogari sibi ; unam quòd ministeria sacerdotum in patria exercuisset ; alteram quòd hospitio Garnetum , licet nondum edito proscriptionum , excepisset , Interpellatus à forensi magistratu cur tertiam , imò primariam reticèret causam , de conjuratione ; negavit causam hanc ad se se ullo pacto pertinere , qui neque dixisset quidquam fecissetve , quo reus conjurationis merito censeretur . Sub hæc pie Superos deprecatus ; carnicifera se permisit , à quo suspensus dissectusque est . Cor cum intestinis in ignem pro more coniectum . Ex eo loco , ubi viscera fuere defossa , flammæ diebus totis sexdecim eruperunt , quas imber copiosus extinguere non potuit . Concurrit quasi ad portentum Vigornia : & magistratus istis flammis elucere suam iniquitatem videns , non abstulit prius , quam eas ingesta , ritu montis , humo penitus obrueret . Sed viri præstantis memoriam perinde non obruit .

Eum certe Vigornia velut apostolum suum intuebatur : ad hunc , tanquam ad oraculum , catholici omnes confugiebant , cujus regerentur sapientia , & caritate foverentur . Abingtoni domum , tanquam in portum , jactati sævis temporum , difficillimorum fluctibus laici sacerdotisque conveniebant ; ex eo potissimum tempore , quo Dorotheam , Abingtoni sororem , Oldcornus ab hæresi vindicatam catholicis addiderat . Vix alia res clarius vel divinæ gratiæ vim admirabilem , vel probitatem Oldcorni ostendit , quàm hujus matronæ ad meliores partes conversio . Adoleverat in Elisabethæ aula , & in hæreseos prope sinu : nec pertinaciter tantum ac muliebriter adversabatur disputantibus catholicis ; verum etiam sagaciter , ut quidem rebatur , ac valde theologicè respondebat . Vifus Garneto est Oldcornus unus omnium maximè idoneus , qui femineos spiritus aut eruditione frangeret , aut molliret humanitate . Cecidit incassum primus labor . Tela rationum , si repellere vi non poterat , cludebat astu , pervicacia refringebat ; semper invicta , quia victam se confiteri vel semel pudebat . Quid ageret Oldcornus ? Subiit animum Christi vox dicentis genus quoddam esse dæmoniorum , quod non possit exire nisi in oratione & jejuniis . Disputatione ommissa , instat orationi ; dies quatuor jejunos perseverat . Utebatur hospitio & mensa Dorotheæ . Illum biduo toto non vesci mirata , morbum primo suspicari : quem ubi nullum videt ; ac tertium ,

51.

Dirè cruciatus abducitur Vigorniam, ibique suspenditur.

52.

P. Eduardi Oldcorni præcipuæ virtutes ; ac res in Angliâ gestæ.

* Marc. 9.

mox quartum diem omni cibo abstinere compertit, seiscitatur causam. Recognita, caritatem viri suspiciens, ac permota divinitus, se ad ejus pedes abjicit; antea pertinax arroganter, nunc modeste humilis: modo erroris magistra, nunc discipula veritatis. Docetur per bidentium; haeresim abjurat, cum tota familia: ejuque domus, expulso mendacii demonio, facta est domicilium probitatis ac veritatis. In ea per annos sexdecim Oldcornus constitit, saepe manifesto Numine protectus ab insidiis exploratorum. Monitus aliquando Bromleius illum intus esse, quam minimo tumultu accesserat cum tacito milite; ac superato muro descenderat in hortum, ubi Oldcornus forte spatiabatur. Inambulantes conspicari satellites salutem comiter ac praetereunt. Oldcornus confestim dilapsus abdit se in latebras. Diu multumque investigatus, cum nusquam appareret, incidit alicui suspicio illum ipsum forsitan esse, quem deambulantes in horto conspexissent. Illuc recurrunt: jam abjerat. Elapsum fuga nemo non credit. Quo id crederent magis fecit equus, quem paulo ante viderant in stabulo: quique jam nullus conspiciebatur. Sic, incerti qua fugisset, insecto negotio absterunt. Equus in vicino prato pascens postea inventus est; a quo deductus, qua egressus janua, nulli compertum. Alias non tam cito discesserunt. Certissimis indicibus cognoverunt eum ibi latere. Castellum corona militari cingunt: mox domum totam tribus totis diebus toridemque noctibus lacerant, ac locis plus viginti perfodiunt. Denique ad eum perveniunt parietem in quo erat abditus: pulvant malleis saxa singula, partim ut emoveant, partim ut explorent sonum: qui si raucus & surdus redditur, indicium alicujus cavi facit. Oldcornus ad singulos ictus opponebat signum crucis, quo lapides ita muniti sunt, ut nihil nisi solidum clarumque resonarent, ac duriores adamante viderentur. Omissus igitur labor, & indagandi fatietate discessum est. Nec minorem Oldcorni curam Superi gerebant, cum ex arce illa coquebatur paulum evagari, quo salus animarum invitabat. Noctu iter cum sociis aliquot ingressus, a licitorum turma occupatur, & ad vicinum iudicem pertrahitur. Continuo quis sit, cur iis in locis iter teneat, cur intempesta nocte, quaeritur. Ecce autem adstrit ex improvviso senex ignotus, qui pro illo tam apposita oratione peroravit, ut iudici plane satisfaceret. Ergo dimittitur cum honoris significatione, non excussis farcinis, in quibus si supellex rei divina deprehensa & sacerdotales libri forent, effugere non poterat quin agnitus, sine ulla cunctatione damnaretur. Hunc in modum ejus vita Superi praesentes consulebant. Jam antea valetudini consuluerant, singulari beneficio. Cum enim nullum faceret finem sui voluntariis poenis discrucianti (in quo modum sancti vix tenent) rupta pectoris vena vim magnam sanguinis effundebat, adeo ut viribus saepe destitutus & semianimis jaceret. Ad hac, ulcus in ore putridum, & immedicabilis cancer natus. Sacram ad S. Veneridae sanum, quod in Wallia visitur, suscepit peregrinationem: & utroque morbo liberatus rediit.

Non indignum se tali Superum patrocinio praeberat peculiari studio eosdem & colendi & imitandi. Eboraco, ubi lucem hauserat, Remos in Galliam a parentibus missus, biennio post venit Romam, desiderio Societatis ineunda, annum agens aetatis primum & vicesimum. Illic per annos fere septem philosophiae ac theologiae magistris operam dedit. Sacris Ordinibus initiatus, & adscitus in Societatem*, remissus illico in Angliam est, cum P. Joanne Gerardo. In desertum littus ambo expositi, aliquandiu erravere defensi tenebris, per noctem taccam & multo foedam imbre. Sub lucem pagum proximum introgressi, allatrantibus ad hospitem novitatem undique molossis, veriti ne a rusticis deprehenderentur, in vicinam silvam refugiunt. Hic a se divulsi Londinum itinere diverso pertere constituunt. Oldcornus recta pergit ad mare: nec multum processerat, cum navim modicam aspicit vela explicantem, Londinum versus. Festinus accurrit, quasi opportunitatem transmittendi expectans, & negotii causa Londinum ex interiore Anglia profecturus. Admiscet se nautis, & eos innata comitate sic demittatur. Continuo in mediam dimicationem a Garneto conjectus, insignes eoduce ac magistro victorias de vitis & haeresi reportavit. Iis addidit cumulum gloriosa

* Anno 1586.

gloriosa morte, quam cum fortiter obiret, unus hic illum angebat dolor, quod eidem duci ac magistro suo amatissimo, causa necis quodammodo existisset. Id quo pacto acciderit explicandum restat.

Perductus Londinum, ut retuli, Garnetus ter & vicies vocatus ad dicendam causam fuit. Quæstioni præerant selecti ex aula & foro iudices, ut populo persuaderetur agi rem magnæ molis, & in qua regni salus verteretur. Interim rumores de Garneto, ad constandam catholicis omnibus invidiam, dedita opera disseminabantur: illum conjurationis infandæ unum esse auctorem; ab illo facinus excogitatum, incitatos conjuratos & impulsos; demum externos Principes ad occupandam, sublato Rege, Angliam invitatos ea lege, ut Papistica servitus revocaretur. Hæc omnia rite esse confessum aiebant partim tormentis urgentibus, partim premente conscientia. Quæ cum palam affirmarent viri ea gravitate, splendore, amplitudine præditi; non tantum credula plebs adungebat fidem, sed etiam oratores Principum & administri tanquam certissima scribebant, Europamque omnem fama tristis pervaserat. Addebatur, illum impatientia mæroris ac pœnarum expectatione conturbatum, pristinæ mentis vigorem sanitatemque amisisset; neque jam ut reum, sed ut mente captum & furiosum, catenis artineri. Silebat oppressus dolore grex catholicorum: adversarii triumphabant. Sed mutata brevi scena his inanem latitiam, illis mærorem & metum excussit. Reus pro more in publicum producendus erat. Dicta dies V. Kal. April. Tota concurret Anglia ut Garnetum consistentem, abjectum, convictum aspiceret. Urque talis reipsa videretur iudices diu multumque laboraverant, intentandis terroribus, cruciatibus adhibendis, intexendis arte veteratoria interrogationibus. Nihil tamen exprimi, nihil quod sceleris umbram præ se ferret deprehendi, vel ipso Poppamo teste, potuit.

Promptum illud quidem erat damnare sacerdotem & Jesuitam: at satis hoc esse non censebatur, ad inurendam catholico nomini, quod unum maxime quærebant, notam perditionis. Faciendum sibi omnino putaverunt ut Garnetus conjuratorum dux, quemadmodum splendide promiserant, renunciaretur, eoque crimine damnaretur. Ad novas artes igitur, ut aliquid ab eo extrunderent confugerunt. Duos carceres medius paries dividebat, vacuus certo in loco, & hominum aliquot capax. Eodem in pariete rima, seu foramen erat de industria pertusum, ita tamen ut vitiosi muri fortuitus hiatus videretur. Per hanc rimam commeari vox ab uno ergastulo poterat in alterum ipsi adjunctum; & simul excipi facile ab iis qui latèrent in excavato pariete. In uno ex istis carceribus P. Henricus Garnetus tenebatur: in alterum transferunt P. Eduardum Oldcornum. Doli admonitus Garneti custos illum certiore facit in proxima custodia esse P. Oldcornum; rimam ostendit; per hanc colloquendi cum eo copiam fore: det operam ut id raro & cautè faciat, in primis vero caveat ne quis id resciat; curaturum se ut Oldcornus idoneo tempore succedat ad rimam. Gratias agit ingentes Garnetus: mox ad foramen adrepens alloquitur Oldcornum; & sciscitanti quid ageretur, quoniam ipsius causa loco esset, respondet nihil adhuc inventum esse, quo probaretur conjurationis fuisse conscius, nec porro inveniri posse: unum in terris hominem existare, qui jam Anglia excessisset; à quo impium facinus deliberatum se non consulto ac prope perfectum, cognoverit; sed ita, ut facere indicium nequiret. Hæc postrema verba sunt ab iis excepta qui latebant in cæcis insidiosis muri penetrabilibus, ac statim ad iudices delata. Evocatur Garnetus: objicitur colloquium illi suum cum Oldcorno: quis ille tandem sit unus conjurationis conscius ex quo illam cognoverit, edicere jubetur. Sensit se proditum. Ergo sine tergiversatione confitetur ad se missum à Catesbyo Patrem Grienwellum, qui suam de conjuratione jam deliberata & confecta sententiam exquireret: sed interposito sacre confessionis sigillo, cujus arcani religione tandiu teneretur, dum illa publicam in lucem erumperet. Nihil à se prætermisum fuisse ut machinatorem terti facinoris deterreret; jussu Grienwellum idem omni ope præstare: Summum Pontificem à se oratum multis precibus ut catholicos omnes, etiam proposita excommunicationis pœna, vetaret moliri quidpiam adversus Regem & regnum. Visum esse Catesbyum saniora cepisse consilia: quin, promississe nihil à se tentatum iri, donec

53.
P. Henricus
Garnetus ter &
vicies causam
dicit. Quid illi
objectum.

donec ab Urbe responsum afferretur; nec sese quidquam, nisi probante Pontifice, aggressurum.

54.
Accusatorum
solicitude, im-
probitas, stro-
pha.

Hac tam candida, tam sancta denunciatione iudices attoniti, hæserunt distra-ctis in diversas partes sententiis. Erant qui satis crederent esse criminis, quod conjugationem cognitam non detulisset: nullam esse tantam illius sacramenti, & sigilli religionem rati, quantam catholici jactabant. Alii, quamvis nihil religiosi arcani, ac ne sacramentum quidem ullum in Poenitentia tribunali, ut Hæresis falso docet, agnoscerent; non poterant tamen non laudare doctrinæ catholicæ tum æquitatem, tum sanctimoniam: simulque fatebantur servandi arcani necessitatem ineluctabilem, si sacramentum admittatur, sacerdotibus esse impostam; quod religio piis, ratio peritis, ipsa natura indoctis persuadet. Quocirca ejus arcani defendendi causa toleratam necem non dedecori, sed honori catholicis fore prædicabant. Itaque novis & exquisitis cruciatibus conati sunt ab eo exculpere, ut conjugationem fuisse sibi aliunde, quàm è sacra Confessione, cognitam, aut ejus etiam partem aliquam ad se pertinuisse diceret. Id cum constantissime inficiaretur, affirmare tamen illud ipsum ac disseminare decernunt: quia simile vero non erat, ut aiebant, catholicos Garneto non assentiente rem tantam esse molitos. Prodiit in hanc sententiam conscriptus primum Anglicè, postea Latinè, liber hoc titulo insignitus: *Actio in Henricum Garnetum Societatis Jesuiticæ in Anglia Superiorem, & ceteros proditores*. Totus huc spectat, ut Garneti ac Sociorum opera dirum facinus designatum & perestum fuisse doceat. Male coagmentatum opus egregio commentario P. Andreas Eudæmon Joannes disjecit. Rē ad hunc modum constituta devehitur curru, velis undique obducto, in ingentem aulam, cui à vexillis nomen est. Populus, proceres, legati oratoresque Principum exterorum aderant; ipse Rex post aulaum latens, cum præcipuis regni ministris, auscultabat: tanta erat illius judicii expectatio! Prælusit advocatus fisci Cookius, & per sex horas integras virulentam orationem maledictis & probris in Pontificem, Papistas, Garnetum referam habuit: de ipso crimine, de conjugatione, quam idem Garnetus persuasisse Catesbyo; quam in Regem, senatum, regnum machinatus dicebatur, pauca; nihil testibus probatum, nihil demonstratum argumentis attulit. Hoc idcirco fieri putabant omnes, quia confessum ab ipso reo crimen jactabatur, nihilque præstolabantur aliud, quàm ut Garnetus lamentabili voce, vera dici agnosceret; suoque testimonio, nomine, chirographo convictus, oborto collo ad patibulum è vestigio raperetur. Processit in medium, ore ad modestiam & humanitatem composito: reum se clara constantique voce pernegavit: refellit ianæ Cookii conjecturas*: maledicta exprobravit, ac neglexit. Tum vero ex omni parte dissonus oriri clamor; triumphare gaudio catholici; fremere adversarii; legati Principum indignari, quod sibi tam ineptè ac pueriliter factus tandiu fucus foret; dedocere scriptis epistolis Europam; sacerdotis catholici religionem, modestiam, integritatem prædicare.

* Henr. Morus
lib. VII. n. 25. 26.
&c. Eudæmon-
Joannes cap. 12.
13.

55.
Garnetus jube-
tur mori. Suam
innocentiam
populo applau-
denti probat.

Excanduit accusatorum deprehensa iniquitas & audacia; ipse Rex discedens auditus est cum diceret factum esse pessimè, quod interpellatus toties fuisset Garnetus, qui tam commode differeret. Sed iudices, quorum erant odia tanto acriora, quanto injustiora, cum paulisper, ut mos est, secessissent; regressi Garnetum, quamvis non sua modo sed publica prope voce esset absolutus, majestatis reum, auctorem & architectum conjugationis certissimum pronunciant, ac perduellionis evidenter convictum. Addiderunt nihilominus quædam flagitia, tam à veritate, quam à spectatis integerrimi viri moribus abhorrentia. Audi etiam promulgare, Garnetum in Calvini jurasse verba; idque palam in oculis civitatis quinto Nonas Maii, quo die necandus erat, denunciaturum. Hic rumor tota sparsus urbe tantam excivit populi multitudinem, ut angusta foret platea ingens in qua Divi Pauli templum insigne visitur: ibi enim patibulum in theatridio quodam collocari placuerat, propter loci celebritatem & amplitudinem. Plenæ spectantium viæ, domus, fenestræ: unde transeuntem inclamabant alii, alii fausta comprecatione perhumaniter salutabant. Resalutabat omnes, præsertim catholicos, eorumque preces in hoc ultimo discrimine postulabat: sed ore tam læ-

to ac soluto; ut facile cerneret ad præmium vocari, non duci ad supplicium. Eodem vultu ferale tabulatum ascendit; eodem apparatus instantis carnificinæ, cultros dissecando quadrifariam corpori, focos cremandis visceribus, aspexit. Inde circumferens oculos, arrectam hiantemque turbam innumerabilem placidissime salutavit. A regiis, qui simul conscenderant, ministris & proceribus interpellatus ut de conjuratione aliquando fateretur, & veniam à Rege peteret: Nihil, inquit, habeo cuius mihi sit à Rege petenda venia: quem adeo non læsi, ut nihil prætermiserim, quo ejus vitæ consulere, & conjuratos à nefario consilio dimoverem. Negas igitur, subjecit Montacutius, tibi conjurationem extra confessionis sacramentum à Catesbyo fuisse detectam; quasi hoc pridem à te confessum non haberemus, atque chirographo etiam testatum tuo? Quin igitur, intulit Garnetus, chirographum illud meum profer? Inanem peram frustra excutiens Montacutius, & famulum, ut Garneti chirographum promeret, inclamans, ludibrio fuit, cunctis insultatam strophæ cernentibus. Perrexit Garnetus magna voce inficiari quod sæpius negaverat: seque ex animo, citra ullam verborum ambiguitatem loqui professus, testem sinceræ mentis Deum sanctè appellavit. Hic è populo nescio quis vocem attollens, Garnete, exclamat, nunc tempus est palam declarandi, uti es pollicitus, te idem nobiscum sentire, eandem sequi fidem. Ad hæc amaro risu Dei servus reclamans: Ego vero, ait, mille prius mortes oppeterem, quàm à catholica desciscerem Fide: ita sim æternum salvus, ut hanc unam patere viam ad salutem credo, profiteor, atque omnibus denuncio. Tum ad tabulati marginem, post rejectas ministrorum erroris aniles naniæ, accedens, ea dixit per dimidiam ferme horam, quæ miros in animis motus excitarunt: catholicos ad obedientiam ac tolerantiam, alios ad avitam religionem repetendam cohortatus, Romanam laudavit Fidem; pro cujus sanctissimis legibus mori se libenter, ac millies, si liceret, moriturum testatus est. Hanc adhortationem exceperunt preces pro Rege, pro senatu, pro carissima patria, pro se; quibus peractis scalam patibulo admotam subiit, incredibili serenitate; quam dejectus pendensque, imo demortuus retinuit in absciso capite: adeo ut multi ad visendum propius concurrerent. Ingemuit multitudo: cumque tortor succidere pararet restem, antequam animam efflasset, clamore sublato prohibuit. Eodem vero carnifice avulsam cor cruentis manibus monstrante, ut assolet, nemo consuetas retulit voces, *Vivat rex*: at lugubri & eloquenti silentio innocentiam optimi sacerdotis unusquisque predicavit: aut si qua vox audita est, eorum fuit qui dicerent nequaquam hanc proditoris mortem esse*.

Certatum est piè à catholicis ut ejus vestes deriperent, aut sanguinem sudariis, dum corpus proscindebatur, exciperent. Aderat inter ceteros juvenis è media plebe, Joannes Wilkinsonus: qui cum arderet cupiditate reportandi aliquid è dulcibus reliquiis, accessit proxime ad plaustrum, in quod dissecta corporis membra projiciebantur unà cum stramine, cui cadaver impositum, ut laniaretur, fuerat. Ex illo stramine excidit spica in ejus manus, recenti cruore imbuta. Lætus hanc defert ad Mariam Bellamyam, Hugonis Griffiti conjugem, gratissimum catholica matronæ munus; quæ spicam theca inclusit crystallina, & amicis ostendit. Ecce autem, defixis in illam attentius oculis, expressum in granis cruento folliculo Garneti vultum unus itemque alter, tum alii complures observarunt; lineamentis omnibus tam nitidè, tam solerter, in tantulo spatio depictis, ut nequaquam mortali manu opus elaboratum appareret. Vulgata re tantus ad Griffitum concursus est factus, ut ab hæreticis sibi metuens, spicam apud regis Hispaniæ oratorem deposuerit. Is copiam videndi passim fecit. Magistratus, proceres, catholicis permisti hæretici, rei novitate perculsi, urbem fama impleverunt. Rex molestè tulit, quem ut proditorem necasset, ut sanctum miraculis celebrari, & apud Hispanum oratorem questus est graviter: egitque cum illo Robertus Cecilius ut Regi spica prodigiosa monstraretur, Negavit orator penes se illam esse; jam enim ut ad Leodientem collegium Societatis deferretur curaverat: & Wilkinsonus, ne quid sibi crearetur periculi metuens, transmisserat in Belgium: ubi confirmata jurejurando rei totius, uti modo retulimus, narratione mortem

pic

* Vide infra. nu. 67. 68.

56.

Vultus Garneti depictus in spica illius sanguine recenti oblita.

* *Audomarepoli.*
Vide plura apud
Alcamb. pag.
710.

pie anno insequenti obiit *. Interim instituendam de miraculo quæstionem Cantuariensis antistes, quoniam fori ecclesiastici causa erat, suscepit. In carcerem coniecti sunt alii atque alii, ad quos pervenisse spicam compertum erat: quasi deinde qui dicerent Garneti effigiem in spica non extare: merum esse commentum à Papistis excogitatum. Sed cum nemo reperiretur, qui gratiæ plus vel timori, quàm suis oculis & veritati tribueret, eo delapsus est Cantuariensis, ut nihil esse in eo prodigii jactaret: Garneti faciem sic depictam delicatiori penicillo fuisse. Verùm accessit pictores, qui spicam antea inspexerant, licet pretio ad fallendum induci, negarunt humanam artem simile quidquam moliri posse: ac nonnulli rem tentare ausi, frustra fuerunt. Igitur, quod unum restabat osoribus miraculorum & innocentia, scriptis libellis ac stilo spicam lacerarunt, quam manibus non poterant; novisque calumniis Garneti nomen obscurare conati sunt, quod Superi pergebant illustrare novis prodigiis. Nam ejusdem spicæ beneficio parturientem ægrè feminam facili defunctam esse parvi: alteram gravi laborantem morbo, pristina valetudini restitutam, constabat. Multo feliciter & sanctius exercuit stilum in hoc eodem argumento catholicus poeta *, qui in istis vocibus, *Pater Henricus Garnetius*, sententiam hanc luculento anagrammate, ne litterula quidem mutata, reperit: *Pingere cruentus arista.*

* *Gualterus Paulus,* Soc. JESU.

57.

P. Garneti ætas
virtutes, labores.

Ætatis annum agebat Garnetus quinquagesimum primum; trigésimum primum in Societate, vigésimum à suo in patriam reditu; in qua per decem & octo annos Sociis præfuerat, singulari prudentia. In eo licebat admirari dissimillimas virtutes arctissimo inter se vinculo conjunctas: animum ingentem & periculorum omnium contemptorem, cum insigni humilitate; qua in primis fiebat ut sententiam aliorum in agendis rebus libenter exquireret, ac facillime præponeret suæ: fiduciam divinæ tutelæ incredibilem, cum pari sedulitate ad cautiones omnes & artes vitandi periculi adhibendas: curam & studium tuendæ in nostris religiosæ disciplinæ alendæque pietatis, cum simplicitate minimè fucata & candore. Quippe *animam*, id quod Sapiens de se olim affirmabat, *bonam* *, dotisque fortitus erat egregias, quibus hæresim frui par non erat. In ea educatus, simul atque verum à falso secernere potuit, egressus *de terra sua & cognatione sua* *, periit Romam; ibique ad Societatem aggregatus, excellentis ingenii vim ac subtilitatem exprompsit: quæ dubitationem iniecit Romanis Patribus, an illum retineri præstaret Romæ, docendisque sacris litteris, aut mathematicis arcanis, quorum erat longè peritissimus, evolvendis occupari. Hunc quidem P. Christophorus Clavius, longo docendi labore debilitatus, successorem dari sibi vehementer cupiebat. Vicit felicitas Angliæ, quam vita sanctissimè ac sapientissimè transacta ornavit; magis etiam morte fortiter obita, ut ipsimet hæretici agnoverunt.

* Sap. 8.

* *Genes. 12.*

E multis, quæ miraculis haud ab similia de illo narrantur, unum alterumve referam. Gaditani civis primarii filius æstuosa laborans febris medicos in summam sollicitudinem adduxerat. Id cum uni è nostris mæstus pueri parens renunciasset, protulit sacerdos linteolum Henrici Garneti cruore conspersum: quod simul atque puer admovit pectori, sic recreatus est, ut postridie sanus integerque surrexit. Garneti gratiæ apud Deum & meritis acceptum retulit P. Gerardius, quod ex Angliâ incolumis evaserit. In eam unâ cum P. Oldcornio ingressus, ac variis defunctus periculis, demum proscriptus cum P. Henrico Garneto & è manibus exploratoris feliciter elapsus, portum attigerat, unde Hispaniæ ac Belgii legati solvebant. De naulo cum magistris navigii facile convenerat: nec dubitaverat se indicare legatis. At illi, contrâ quàm sperabat, omnino recusant eum in navim admittere, stomachum Regis veriti, si servatum per eos hominem resciret, quem ipse proscriptisset. Dies tertius Maii erat, & hora ipsa qua Garnetus animam pro religione ponebat: hunc tacitus orat enixè ut amotis obicibus aditum intra navim explicet sibi. Vix ejusmodi preces conceperat, cum legati arcessunt ultro, utque admittatur imperant: imo quasi unum è suis comitibus, induunt certis vestibus, & eo nomine securum sistunt in Belgio. Itaque Garneto se debere annos unum & triginta quos deinde vixit, semper est professus: operarius impiger, mirè natus ad conciliandos sibi animos, ut eos Deo ac religioni redonaret.

58.

P. Joannes Gerardius elabitur
ex Angliâ. Ejus
industria in hæreticis conciliandis.

Si

Si quos nancifcebatur cupidiores veritatis, & ad eam per se se vestigandam idoneos, magnopere illis suadebat, ut sedulo apud se reputarent rationes, quæ veram Dei Ecclesiam commonstrant, easque suis singulas momentis librarent. Deinde illorum voluntatem, ne pravis inescata cupiditatibus mentem retardaret, abducebat à mendacibus rerum fluxarum illecebris, ope Spiritualium Exercitationum: quarum vim admirabilem mutationes animorum seriâ constantisque ostendebant. Jam vero, ut aditum sibi aperiret in hominum cœtus, personam catholici nobilis induebat; ac, pro re nata, proferebat argumenta validissima, & ad persuadendum maximè apta; sine verborum fuce, quasi ab aliis audita, aut à se lecta. Quibus cum facile respondere non possent qui audiebant, rogabatur interdum clam & remotis arbitris, ut sacerdotem acciret, à quo plenius eadem docerentur & Ecclesiæ restituerentur. Nec dubitabat iisdem in loco indicare se, ac personam deponere, si dignum & opportunum duceret. Documento id erit. Degebat in ædibus hæretici dynastæ, cujus uxor clam Romana colebat sacra, quæ vir palam detestabatur. Gerardius non alias gerebat partes quam hominis eruditi, & venatoris egregii: sic familia tota existimabat. Nihilo tamen minus, ut erat venator animarum etiam peritior quam ferarum, incumbere in eam curam ut matronæ virum expugnaret: nam lucri plurimum fieri convertendis ad Fidem familiarum capitibus, experientiâ noverat. Huc demum, aliud agendo, perduxit hominem, ut peccata confiteri, & catholicis annumerari constitueret. Pollicetur Gerardius adfore sacerdotem probe sibi cognitum: oraret interim, seque ad sacram confessionem compararet; cujus leges omnes illi minutatim explicuit. Noctæ concubia, cum familia omnis somnos carperet, adest improvisus, & Societatis talari veste indutus. Quem ubi paulisper cunctatus dynastes agnovit, suavissimè complexus, totum se illi tradidit, eumque deinceps in patris & amici loco semper habuit.

Cum erroris ministris, & facinorosis hæreticis, dissimili ratione pugnabat. In iis voluntatem & vitia primum studebat proffigare: hæc enim labes mali prima, & in ejusmodi hominibus à vultu vulgo depravatur. Multo plus autem erat laboris in superanda voluntate, quàm in mente debellanda; nec semper victor ex acie discedebat: ut patuit in magistro impietatis, sæpe monito de moribus ad bonam revocandis frugem. Ille contulenti aliquando matronæ nobili, ac per Superos omnes obtestanti, verum ut sibi de religione diceret, cujus ipsa tot formas tam dissimiles vel unica in Anglia conspiceret, responderat: Vive cum Calvino, cum catholicis morere: seque ita vivere, ita mori velle, affirmabat. Demens! qui Deo sic illud putaret posse; nec videret in nostra non esse manu mortem, sed fugientis vitæ momentum præsens: quod ipsum pæne dum oritur, moritur; & sæpe, velut intercisa subito catena, ruptum iudit miseros mortales, incautosque destituit. Hoc ipsemet est expertus malo suo. Cum enim ab opipara rediret cena temulentus, non habuit moriens spatium de se cogitandi, qui dum viveret oblitus erat Dei. Edocta melius à Gerardo eadem matrona, cum catholicis vivere sapienter instituit, ut cum catholicis moreretur. Similes isti prædas retulit non semel Gerardius, idque in ipsis plerumque carceribus, ubi per custodes comitate ac probitate conciliatos, licebat illi sacra ministeria exercere. Mutatum templo carcerem crederes; adeo multi conveniebant ad usurpanda sacramenta, auscultandas conciones, operam divinæ rei dandam. Custodes ipsi evadebant non jam custodes catholicorum ad pœnam, sed ad securitatem; multosque domi suæ celabant. Solenne Gerardo, quoad licebat, fuit adire P. Garnetum Anglicæ Missioni præpositum, bis saltem quotannis, ubicumque tandem versaretur; ei conscientiæ rationem reddere; ejus excipere consilia, & alia comparare aut renovare virtutis præsidia, pro more Societatis: quibus incredibiliter se defendi ac muniri confirmabat. Eum Anglia excedentem secuta sunt odia tum Regis, tum vero ministrorum hæreseos: quæ ut nominis mutatione falleret, in Belgio Tomsoni nomen sumpsit.

Tales è Garneti schola discipuli prodibant. Eorum unum adhuc alterumve idem iste annus MDCVI. in gravissimis tormentis invictos exhibet. Operam Garnetum

60.
Nicolaus Odoenus vi tormentorum dirumpitur.

neto & catholicis pridem navabat, instar famuli, Nicolaus Odoenus sive Odoenus, Anglus; qui nomen Joannis adsciverat, ut facilius lateret, ac vulgo Joannes exiguus, à statura brevior, vocabatur. Non alius eo peritior feliciorque, ad excogitandas latebras, & subterraneos recessus ac vivorum sepulcra, in quæ abditi sacerdotes lynceos vel acutissimi exploratoris oculos fugiebant. Vix unum ex illis erat reperire, qui non Odoeno salutem suam sapius acceptam ferret. Obibat nobilium catholicorum domos, & omnia diligenter contemplatus, intricabiles labyrinthos fabricabat, nullo socio laboris aut conscio; quamvis perfodiendi sæpe forent parietes crassi solidique, alta humus egerenda, vestandi lapides; ut portenti simile videretur homunculum tanto labori parem esse. Et additas divinitus fuisse vires persuadent sacra Eucharistia & oratio, à quibus laborandi faciebat initium. Sui vero laboris aliam mercedem capiebat nullam, præter meritum Christianæ caritatis; & sacerdotum, quibus tutandis operam devotebat, preces. Id cum percubisset, incredibili studio ad eum comprehendendum excubabat satellitum industria, qui multos hoc uno capto perditos captosque judicabant; quippe qui omnia pernosset latibula: & illis patefactis, nihil moræ futurum arbitrabantur, quin sacerdotes plerique omnes aut comprehenderentur, aut Anglia excederent. Itaque postquam detectus & comprehensus ipse cum Patribus Oldcorno & Garneto fuit, exclamavit Cecilius, triumphantis in morem, nunc denique refoffa talparum cubilia, nunc patere latebras sacerdotum: explicandam vim omnem tormentorum ut Odoenus indicare, quæ norat, cogretur. Nec mitiora dictis fuere facta. Pertractus in cruciatuum officinam, nunc sublimè attollitur, molari saxo pedibus alligato; nunc in equuleo distenditur, idque aliquando per septem horas continenter; quamvis hernia gravissime laboraret: quo affecti morbo, eximuntur per leges ejusmodi cruciatu. Veriti tortores ne illi, ut postea contigit, ilia rumperentur, ventrem ferreo circulo substrinxere, ut diuturnæ morti sufficere vita posset. Nulla vox interim nisi suavissimum Jesu nomen excipiebatur, quo dolores acerbissimos Dei famulus leniebat. Dolens ab homuncione sua tormenta seque vinci Wadeus, huic prapostus quæstioni; Quandiu cessabitis? exclamat tortores increpitans. Non vestra vos lenitatis pudet? Sic homulus vobis mihique illuserit? Stimulati crudelibus jussis carnifices, contendunt brachia, adducunt equulei fiduculas tanta vi, ut lacerato pectore, prorumpentibusque intestinis, Joannes exanimis jacuerit.

61.
Ejus vita in Societate ac virtus.

Non aliud ad vitandam tetri facinoris invidiam effugium Wadeo paruit, quàm ut jactaret Odoenum sibi necem, adacto in viscera cultello, conscivisse tormenti gravioris metu. Fidem ut fabulæ faceret, cadaver visceribus vacuum illudenti plebeculæ objecit. Existere tamen vindices veritatis, qui rem, ut gesta & explorata sibi erat, palam testati sunt; eò facilius crediti, quòd abrepti statim in carcerem fuerint, ut liberam ac veram vocem ergastulum opprimeret. Priusquam adscriberetur Odoenus à Garneto in Societatem, operam Campiano dederat. Cumque ejus virtutes ac mortem heroe Christiano dignam, audacius quàm inter hæreticos tutum erat, dilaudaret, conjectus est in vincula; in iisque diu mansit onustus ferro, colaphis per ludibrium cæsus, inedia maceratus, coopertus ita vermiculis foedissimis & adesus, ut moveret commiserationem, ac vivum cadaver, ossamque compagem, intuentibus offerret. Addebat his miseris cilicium asperimum, quod exiit deinde nunquam; tanta erat patiendi pro Christo fitis! Ex hac immani custodia, credo quia vivere non posse diutius putabatur, eductus adjunxit se Patri Joanni Gerardio; quem tutis non raro clausum latibulis, incolumem ad magnos labores servavit. Captus cum illo subinde, tortus, excarnificatus, cum nullius rei faceret indicium, libertate donatus est. Hanc in obsequio P. Garneti per annos complures utiliter impendit, servandis corporibus catholicorum, & animis bono Christi odore imbuendis; quem ubique diffundebant ejus modestia, patientia, humilitas, singulare studium castimonia: ut quamvis religiosum nescires (nam id occultari oportebat) alumnum tamen Societatis isti mores demonstrarent: essetque in honore ac pretio apud proceres catho-

catholicos; & sacerdotum vel præstantissimorum famam, licet eo dignitatis care-
ret gradu, opinione probitatis adæquaret.

Post defectum ingens religionis in Anglia columen, P. Henricum Garnetum,
sacerdotes faceffere infula sunt iusti, gravissimis pœnis, ni morem gererent, con-
stituris: nonnulli carceribus emissi, & in navim, ut exulatum abirent, impositi.
Remanserunt non pauci caritate patriæ, religionis studio. Ex iis captus P. Tho-
mas Strangeus, tam diros cruciatus pertulit, ut debilitato corpore, manibus pe-
dibusque distortis, delumbatus inutilisque, totis triginta, quos præterea vixit,
annis languerit. Non ausi tamen tantæ crudelitatis auctores eundem in Anglia
retinere: ne deforme spectaculum circumferret, ac populos doceret quid esset
de Anglicana, quæ prædicabatur ambitiosè, clementia sentiendum. Vivere illum
coegerunt, quia nihil in eo fere perimendum restabat: liberum esse, quia nihil reli-
querant ei liberum & integrum, præter vocem & constantiam. In equuleo cum disten-
deretur, aiunt accessisse theologū è Calvini schola, disputare gestientem: cui Strangeus.
Scande, inquit, mecum in hoc pulpitem, ut æquo Marte pugnemus. Rursus, cum
præfectus arcis Londinensis, attonitus viri fortitudine rumorem dissipasset, ipsum
sensu expertem & mente captum esse: Si falsum est, quod de me jactatis, inquit,
cur mendacii vos non pudet? si verum, cur hominem mente captum cruciare
& lacerare pergitis?

Pulsis magnam partem sacerdotibus, adhibita est, velut aries bellicus, Ju-
risjurandi quædam formula (Juramentum Fidelitatis appellabant) ad labefactan-
dam laicorum patientiam. Fingebar Rex catholicorum fidelitatem, post illud con-
juracionis portentum, merito sibi esse suspectam. Ergo, ut illos arctius sibi, quod
aiebat, obligatos haberet, singulos in certa jurare verba jussit, quibus eam Sum-
mo Pontifici auctoritatem abrogabat, quam inesse illi constitentur quicumque ip-
sum Christi Vicarium & Summum Ecclesiæ Pastorem agnoscent: quam Chri-
stianus orbis in concilio Lateranensi congregatus ipsi concessam professus est. Qua
vero mens Anglorum esset, cum hoc Fidelitatis Juramentum proponebant, ipse
titulus indicabat, in quo appellabatur Tessera Fidei, ad internoscendos Papistas
necessaria: quamvis Rex palam prædicaret, nihil à se ultra civile obsequium exi-
gi. Qui sacramentum hoc dicere abnuerent, spoliabantur bonis, sepeliebantur
carceribus, ad ignominiam nudi & egentes, amissis cum avita nobilitate opi-
bus, traducebantur.

Volitabant omnem in partem diu noctuque cateryæ satellitum, gladiis,
uncis ferreis, vestibus & malleis armata, ut adigerent catholicos impio sa-
cramento, ac latitantes ab ipsis, si fieri posset, inferis extraherent. Conster-
nati hac temporum diritate veritatis defensores effugium aliquod circumspi-
cere cœperunt. Adeunt Patrem Richardum Holtbeium, qui ad gubernandos
in Anglia Societatis homines Patri Garnetò subrogatus fuerat: quid de jureju-
rando fidelitatis sentiat, percontantur. Ille, quamvis nefas omnino censeret in-
formulæ proposita verba jurare; tamen, cum discrepantes catholicorum senten-
tias videret, primò vetuit ne quid nostri pronunciarent: deinde juramenti exem-
plar misit Romam, responsum ab oraculo petiturus: demum peritissimos circa
Londinum sacerdotes, modo singulos, modo in Archipresbyteri ædibus congre-
gatos, rogavit quid sentiendum, quid catholicis respondendum judicarent. Pa-
rum concordēs animadvertit. Ipse Blakuellus Archipresbyter, an pœnarum me-
tu, an commiseratione tot infelicitum victimarum, quas cruciatibus ac neci de-
dendas, si regia detrectarent imperia, cernebat? putavit fas esse aliqua interpre-
tatione adhibita, Regi obsequi: ramen quærendum censuit quid Romæ videretur.

Pontifex rescripsit * neminem, salva Fide catholica, & sine detrimento æternæ sa-
lutaris, obligare se perfido sacramento posse. Pontificis mentem ita Blakuellus ex-
plicuit, ut diceret datum ab eo consilium, non præceptum impostum: quasi li-
bera potestas dari possit faciendæ rei vel omittendæ, quæ impia & cum exitio sem-
piterno conjuncta esse declaretur. Huc igitur delapsi sunt Blakuelli adstipulato-
res, ut jactarent causam non satis Pontifici explicatam & cognitam fuisse; decep-
tum à Jesuitis & inductum ut hunc in modum responderet. Alteras itaque lit-
teras

62.

Sacerdotes Ang-
lia in exilium
puls. P. Thomas
Strangeus dif-
cruciat.

S. IV.

QUARTA SOCIE-
TATIS IN ANGLIA
VEXATA CAUSA.

* Vide libellum,
qui inscribitur
Controversia An-
glicana contra
Lancellottum.

* Die 22. Septemb.
1606.

63.

Blakuellus Ar-
chipresbyter
sede labitur, &
in verba Regis
jurat.

teras anno sequente MDCVII. decimo Kal. Septemb. Paulus V. dedit, quibus ex animi sui sententia se locutum esse, causa diligenter cognita & expensa, denunciavit; ac stricte præcepisse ne quis ejusmodi juramentum præstaret: tum, ne quis in posterum aliena interpretatione iudicium Sedis Apostolicæ eleveret infringatve omnino prohibet. Serius in Angliam hæc litteræ perlatae sunt, cum jam Archipresbyter comprehensus & in vincula coniectus, tormentorum aspectu & dolis sceleratissimi Bancroftii Cantuariensis pseudoarchiepiscopi concussus, non modo jusjurandum ediderat, verum etiam catholicis ubique significaverat ne se præventem sequi dubitarent.

Rex pastore profligato latus, gregem catholicum ferocius invasit. Incendebant illum Parlamentarii; sic appellant unam, è sexcentis quæ Angliam infelicem convellunt, præpotentem sectam. Hæc Regis ac Parlamenti, sive Senatus, auctoritatem amplectitur, neque aliam ferme religionis ac Fidei normam habet. Episcoporum nomen & carimonias Romanis simillimas usurpat. Puritani contra (quæ altera inter ceteras eminet secta) leges ac dominationem omnem spernunt. Decretis consistorialibus, quæ vocant, reguntur: ab Ecclesiæ Romanæ carimoniis quàm longissimè se remouent: universum regimen esse volunt penes seniores & majores natu, quos Græci *πρεσβυτέρους* nominant: inde Puritanis Presbyterianorum quoque nomen inditum. Hos Jacobus antea coluerat: nam in Scotia, ubi regnabat, plurimum vigent: postea, tanquam regum ac regnorum hostes, infestus est. Illi vociferabantur defecisse Regem ad catholicos, minas jactabant palam, insidias clam agitabant. Jacobus, inquietam geatem ut placaret, odium in eam conceptum effudit in catholicos. Præter multam ducentorum florenorum in singulos menses irrogatam recusantibus adire populi templa, duas tertias partes bonorum omnium quæ possiderent, fisco addixit. Si quis vero frequentare profana templa solitus, mutaret sententiam, sexcentis florenis multabatur. Præcipua pars atrocitatis in exigendo fidelitatis Juramento. Quicumque illud semel iterumque respuebat, capite luebat constantiam. Sancitum etiam fuit, ut qui abirent peregrè Principibus exteris militatum, eodem adigerentur sacramento. Idem jurare cogebantur, duobus testibus ac fidejussoribus interpositis, nunquam se in gratiam cum Romano Pontifice redituros. Hæc leges anno MDCVI. latae omnia metu, delatoribus, & periculis implebant. Sed cum regiorum diligentia, severitasque ministrorum, imo etiam præsulum, qui licetorum propè partibus in hoc negotioungebantur, ingentem Regi constaret invidiam; non dubitavit ipse conscribere Juramenti defensionem, quasi mere civilem obedientiam, & cullibet Principi debitam, reposceret à catholicis. Regio libello titulus præfixus erat: *Triplici nodo triplex cuneus*: sive, *Apologia pro Juramento Fidelitatis*. Regis nomen ipsum non exstabat. Huic apologiæ responsum est, primo quidem Anglicè à P. Roberto Personio: postea Latinè à Cardinali Roberto Bellarmino, sub nomine Matthæi Torti. Utramque lucubrationem Paulus V. adjunxit suis ad catholicos Anglos litteris, quibus eos certiores faciebat de veritate Pontificii diplomatis ad ipsos anno superiore missi. Ac Robertum quidem Personium Rex visus est contempnisse, restem illi minitari contentus: de Bellarmino questus graviter, conscripsit ad Imperatorem aliosque Principes Christianos epistolam, seu *Præfationem monitoriam*, ut vocat; in qua se auctorem prioris libelli non obscure prodit: hortaturque omnes ad excutiendum Romani Pontificis jugum, quem appellat Apostatam, Tyrannum, Antichristum. Ista voces hauserat à suis magistris, regiæ dignitatis ac moderationis oblitus. Opusculum Bellarmini oppugnavit scriptor Anglus, qui se L. Cicestrensem dixit. Titulum lucubrationi fecit, *Tortura Torti*. Hanc Torturam graviter & copiosè torfit P. Andreas Eudæmon Joannes*, Societatis theologus; qui multa in nos ab isto Cicestrensi Tortore (Is pseudoepiscopus Cicestrensis erat) conficta egregiè refellit. Bellarminus Regem, cui non satis regium nomen erat, nisi etiam doctoris & Pontificis titulos adscisceret, altero scripto uberiore docuit continere se intra regiæ potestatis ac scientiæ limites. Idem scripsit IV. Kal. Octob. insignem epistolam ad Georgium Blakuellum Archipresbyterum; qui juramentum fidelitatis, ut antea dictum est, mortis metu subscripserat.

Homi-

A. C. 1607.
Soc. 68.

64.
Bellarmini opusculum contra Juramentum Anglicanæ fidelitatis.

*Parallelus Torti ac Tortoris.

Hominem multis hortabatur ad pœnitentiam . Sed frustra : nullis vel precibus , vel oburgationibus adduci potuit ut mutaret sententiam ; ac ne ut litteras quidem Bellarmini , nec non Cardinalis Arigonii legeret , aut legi sibi pateretur . Quin eò devēnit infelix , ut palam cultum sacris imaginibus adhibere , ac solita catholice religionis obire munia formidaret . Quam senior sacerdos constantiam abjecit , hanc tres adolescentes laici ætate ac genere florentes præstiterunt . Illis nomen Gageis , æterna celebrandum laude . Hospites prius Blakuelli , & amicitia cum eo diuturna conjuncti , abrumpere hæc dulcissima vincula maluerunt , quàm à Christo disjungi . His accessit Thomas Matteius , Eboracensis pseudoarchiepiscopi filius , qui P. Roberti Personii operâ , Catholicorum partes Romæ amplectus , ac reversus Londinum , Pontificiam , Anglia stupente , causam strenue propugnavit ; primum verbis coram pseudoarchiepiscopo Cantuariensi , quem , licet haud imparatum , non semel conturbavit ; deinde factis , & acerbi carceris , in quem cum Gageis abreptus est , tolerantia .

Praivit generosis adolescentibus , nec leve ad catholicam causam tuendam momentum attulit P. Guillelmus Wrigthus , qui paulo post captum Blakuellum , in exploratorum laqueos inciderat . Natus Eboraci , ad Anglicanum Romæ Seminarium anno MDLXXXI. confugerat , tanquam ad asylum veritatis & innocentie . Ibi acceptus in Societatem , sacram de Deo scientiam annis admodum vicenis in Germania docuit : de patria tamen semper anxius , quam tristi errorum jugo videbat oppressam . Neque porro quievit , donec facultatem ejus revivendæ adeptus est anno MDCVI. cum jam luctuosus Archipresbyteri lapsus hæreticos latitia , catholicos mæore incredibili affecisset . Delitescbat Londini apud Eduardum Gageum . Extractus è latebris diligentia exploratorum octavo postquam ingressus erat Angliam mense , ad Vadeum , turris Londinensis præfectum , inde ad Cecilium Regis administrum deducitur . Sed cum nullum in eo sceleris vestigium deprehenderent , ad quod adhærescere posset ipsorum immanitas , maximè perduellionis (nam id unicè sectabantur) illum remiserunt ad Richardum Bancroftium Cantuariensem pseudoarchiepiscopum , ut veterator senex inveniret aliquid , pro ea qua valebat arte , unde strui capitale periculum innocenti posset . Nec eorum votis ille defuit . Materia criminis oblata statim est , quæ omnibus tunc in ore , Juramentum fidelitatis . Supervēnit novus Patri Guillelmo adversarius , quem minime decebat , germanus ipsius frater ; & Cantuariensis domesticus sacerdos , idemque Juramenti propugnator acerrimus . Hic Bancroftio adjunctus , arma omnia in fratrem expedit ; sed ab omni parte tutum , & cataphractum , à quo multis uterque vulneribus debilitatus recessit . Nec animi tamen semel , iterum , ac tertio visis ceciderunt . Rursum igitur accitum è carcere Wrigthum dolosus præful mollioribus verbis , mutata pugnandi ratione ut peritis ducibus mos , aggreditur . Quærit quid tantum flagitii videat in hoc sacramento præstando . Quia , inquit Wrigthus , summam Ecclesiæ regendæ ac defendendæ potestatem Petro ejusque successoribus Christus demandavit : quæ potestas cum ejusmodi jurejurando stare nequit , quo Regi obedientiam nullis circumscriptam limitibus spondere quisque cogitur . Quid enim , si Pontifex edicat nefas esse adire templa hæreticorum , & sacris eorum interesse ; Rex contra declaret esse fas ac jubeat , moremne gerendum Regi diceas , non Pontifici ? Attamen suo quemque Principi necesse est obedire . Sanè , dum se intra regie potestatis continet fines ; dum sacra , in quæ nihil juris habet , profanis manibus non atrectat . Regem ergo summam in Anglia auctoritatem obtinere negas ? Imò summam Romano Pontifici auctoritatem in Ecclesia gubernanda esse contendo . Ea sacerdos catholicus , prolatis è veteri novoque Testamento rationibus & exemplis , comprobavit . Ad quæ Bancroftius ira exæstuans , cum nihil haberet opponendum , convicia , minas & vincula reposuit .

Pervasis Angliam hæc omnem fama , & mentes catholicorum defectione Blakuelli dejectas erexit . Magni ad invictum pugilem continuo , è remotissimis etiam locis , fieri concursus non gratulantium modo proborum , sed hæreticorum etiam doceri vel disputare studentium . Wrigthus omnes comiter , ut solebat , accipiens ,

65.

P. Guillelmi
Wrigthi con-
certatio cum
pseudoarchiepi-
scopo Cantua-
riensi .

66.

Catholicorum
astu vinealis
eximitur .

piens, sublustrem inanium rationum umbram, & argutiarum fumos discutiebat: deinde solem perspicuæ veritatis ingerebat oculis mirantibus: quo fructu, brevi patuit. Nam unus inter mendacii magistros celebratissimus, depositis magisterii opulenti lautis insignibus, & locuplete censu, procul abiit cum omni familia in eum, ubi regnabat catholica Fides, locum. Alter quæstuosam ministri Erroris professionem palam abdicare non dubitavit. Mitto sexcentos alios inferioris notæ. Quibus auditis Rex, etsi magno dolore affectus, ne tamen tortores in Wrightum illico immitteret, deterritus est: primum, quia Juramenti causam omnem professus erat manifestis niti rationibus; ne tormentis eam probare velle videretur, timuit: deinde speravit fore ut commodius & occultius periret in carcere, oppressus ærumnis ac pestilentia, cui jam strages aliquot per Angliam edenti, aditus in Londinensem custodiam idcirco negatus valde non est. Ea dum in olenti ergastulo liberius bacchatur, Wrightus periculum lacescere, juvenis ægrotantibus, ac duplicem honestæ mortis titulum promereri, ardebat; nec paucos hæresi liberatos sacris carimoniis expiavit. Adiere Cantuariensem catholici supplices, obtestatique sunt ut Patrem vinculis tantisper educi pateretur, pestilentia sedata redhibendum: seque pro illo vades & fidejussores, multos pro uno, certatim obtulerunt. Repulit orantes inexorabilis senex, id unum occinens: Eligat Juramentum, aut pestem, aut Tartarum. Jam carcerem continua funera exhauserant. Restabat Wrightus noster cum duobus hæreticis, quorum alter brevi extinctus est: alter Ecclesiæ catholicæ clam redonatus, adjutor ipsi, sequester & interpret fuit, sive ad eum mitterentur litteræ, sive cum exteris agendum quidpiam foret: quippe nulli suspectus. Carceris custodes partim lue sublatis, partim implicati malo, ac de propria salute magis, quàm de vincitorum custodia solliciti, vacuum penè ergastulum servabant negligentius. Id catholici cum animadvertissent, qui omnem servandi cari capitis occasionem aucupabantur, effigiem clavis, qua carcer claudebatur, in cera molli vel argilla expressam deferunt ab fabrum ferrarium, & simillimam verè clavim effingunt. Mox, custode ad potitandum invitato, Wrightum per tenebras emissum in provinciam Leicestrensem transfulerunt; ubi annos complures patriæ juvendæ feliciter impendit*. Bancroftius mærore amissæ talis prædæ exanimatus, eam sarcire laboravit investigandis & comprehendendis Patribus Societatis: qui amplius quinquaginta per Angliam sparsi, ejus tamen insidias, & licitorum ac delatorum acutas aures oculosque perspicacissimos tenebris, fuga, divinæ tutelæ scuto tecti, fefellerunt.

Elapsus quoque feliciter anno superiore P. Gerardius & in Belgium delatus, fabricata in Anglicis officinis contra se tela retundebat. Non cessabant eum nefandæ conjurationis, cui à pulvere nitrato nomen hæsit, accusare. Quod estiregis ipsius testimonio satis refutatum videretur, ut antea docuimus*; tamen insectari hominem, & veterem longo intervallo calumniam reponere pergebant. Sacerdos etiam producebatur nescio quis, affirmans auditum à se Gerardium, qui gloriaretur humum è cuniculo, cum dolia sulphureo gravida pulvere infoderentur, a se egestam & exportatam fuisse. Hanc fabulam datis ad Richardum Smitheum litteris, quæ ab Italo rerum Societatis in Anglia gestarum scriptore proferuntur*, Gerardius fusè refellit, & objectas sibi suspiciones alias purgavit. Non sum equidem nescius, in Actis, seu narratione conjurationis, judicium auctoritate conscripta, Gerardium poni ut istius sceleris reum, manifestis convictum argumentis, perinde atque Garnetum & alios Societatis Patres; sed quanta debeat ejusmodi Actis fides, posteritati constabit ex iis quæ sum dicturus. P. Guillelmum Balduinum Angli pessimè oderant hoc nomine, quòd ab eorum insidiis & manibus, innocenti dolo fuerat anno MDXCV. vindicatus*. Hunc in eadem conjuratione anni MDCVI. & ista ferali tragœdia primarum actorem partium extitisse; ac patriæ perniciem è Belgio, quò profugerat, moliri clamitabant. Ille Romam, præfidum suorum accitu qui nihil ipsi tutum etiam in Belgio videbant esse, profectus est. Agnitus in itinere, comprehensusque à Frederici Electoris Palatini militibus, oneratur catenis; traditur Eduardo Cecilio Roberti germano; & in Angliam deportatur. Hunc ab Archiduce Alberto Jacobus enixè postulaverat, quem

suppli-

* Mortem obiit
an. 1639.

67.
pp. Gerardius,
Balduinus, Gar-
netus, &c. falso
accusati.

* Supra. n. 48.

* Bartol. Lib. 7.
c. 6.

* Supra. n. 22. 23.

supplicii omnibus excrucietur, quippe reum, ut aiebat, conjurationis, ac proditorum notissimum: id quod omnes ex Actis conjurationis testibusque luculentis constare prædicabant. Albertus, ubi captum Balduinum cognovit, scriptis ad Regem haud mollibus litteris, ut sibi redderetur flagitavit. Promisit Rex daturum se operam ne qua fraus interveniret; nec reo molestia quidquam aut periculi creandum, si probaretur innocens. Causa instruitur; & quidem bona fide, uti Rex promiserat, caveratque sedulo. Acta proferuntur; excutiuntur apices vel minimi; argumenta, testimonia inter se componuntur. Non modo certi nihil inventum, sed ne probabile quidem ad legitimam accusationem informandam. Neque id satis: collectum ex iisdem fuit quidquid movere vel levissimam suspicionem posset; examinatum in frequenti senatorum gravissimorum & præfulum, illius necem anhelantium, confessu; oblatumque Regi. Ab eo pronunciatum denique est, Balduinum totius ignarum fuisse conjurationis, & omni suspitione absolvendum videri. Hoc amplius: ipsemet Balduinus productus in iudicium, audivit quidquid vel excogitari subtiliter, vel insidiosè objici poterat. Sic omnia diluit, explicuit, demonstravit, ut Jacobus (nam interfuerat tenui discretus velo) innocentem, laudatis ejus responsis, declaraverit. Assentit Regi cæteris omnis, & sententiam secundum Balduinum, publicis litteris consignatam, dixit. Liberatus tamen nisi anno MDCXVIII. non est. En quibus Actis freti Casaubonus, Abbottius, Lancellottus, alique scriptores ignominiam & crimen perduellionis ac proditorum hominibus Societatis impingere non destiterunt!

Quod si quis uberiores P. Henrici Garneti defensionem, & aliorum è nostris, qui eodem ac Balduinus crimine infimulabantur, desiderat; habet egregiam P. Andree Eudæmon Joannis, Societatis theologi, lucubrationem: in qua pariter labe aliquas, allini doctrinæ Societatis solitas ex occasione istorum temporum & illius decantatæ conjurationis, luculenter abstergit. Nec moror etiam propudiosa Tortoris Cicestrensis, quem idem Eudæmon Joannes multo sale defricuit*, commenta: quale est illud quod asserit, *intercessisse ad consilium hoc (nefaria conjurationis) & rem totam procurasse presbyteros & Jesuitas, qui sceleratis illis Eucharistiam porrexerant; idque ad ipsorum animos atque fidem ad hanc actionem tampiam confirmandam.* Hæc ipsa sunt audacissimi scriptoris verba, quibus non homines nostros tantum, sed alios etiam presbyteros in invidiam, & communionem nefandi consilii vocat: cum tamen neque in edictis, neque in Actione conscripta, fiat ulla presbyterorum aliorum, præter Jesuitas, mentio. Ex ipsa vero in Garnetum nominatim actione composita patet, ad Societatis sacerdotes notitiam conjurationis, nisi multo post tempore, quam inita fuerat, non pervenisse. Denique libellus Anglicanus de reorum confessionibus, editus publica auctoritate, itemque alter hujus feræ tragœdiæ locuples commentarius, conjuratos affirmant disertè in iudicio negavisse Societatis homines ejus consilii fuisse conscios. Unus Batesius Catesbyi servus dixit duntaxat suspicari se P. Griewellum rei alicujus fuisse non ignarum; quod hero suo esset à confessionibus, & familiaritate ipsi conjunctus. Quam tamen vocem postea recantavit, confessus sibi extortam oblata spe impunitatis: ut supra monuimus*. Garneto quidem certè nihil fuisse objectum, quod alicujus momenti foret, Comes Salisburiensis ingenue restatus est; præter hoc unum, quòd diceretur conjurationem, interposito sacra confessionis arcano cognitam, non indicasse. Hujus unius rei causa Majestatis arcessitus est, sive quòd hæretici homines nullam esse tantam sacri arcani religionem existimarent; sive quòd augustum sacramenti nomen ad velandam fraudulentam machinationem obtendi arbitrarentur. Huc igitur rota recidebat accusatio, tene-rotate sacramentalis arcani religione Garnetus: deinde utrum conjurationis particeps aliter aut conscius existisset. Horum alterum apud catholicos, atque adeo apud quoslibet rerum æstimatores æquos, difficultatis nihil habet vel criminis: alterum nullo unquam argumento probatum est*: Quid, quod in Actis Gallicè per id tempus editis, atque ex Anglico sermone ad verbum, ut ipse titulus præfert, conversis** nulla sit mentio Garneti, propter arcanum sacra confessionis sanctè servatum, accusari; neque ob eam rem capitalis in eum sententia lata dicitur:

68.

Acta Londinensis fori contra Jesuitas quo in pretio & numero habenda.

* Cap. V. Paralleli Torti ac Tortoris.

* Supra. n. 47.

* Henr. Morus lib. VII. Barolus lib. VI. c. 11. Eudæmon Joannes c. 9. 10.
** Procès de Garnet & c. pag. 26.

citur: sed propterea tantummodo, quod de principatu Regis in Ecclesiam Anglicanam interrogatus, responderit se iudicio Ecclesiae Romanae stare. Hinc suspicati sunt nonnulli colloquium P. Garneti cum P. Oldcornio per vitiosum & intus excavati parietis rimam habitum, meram esse fabulam; aut certe nullius momenti ad Garneti damnationem fuisse ab adversariis iudicatum. Id si ita est, laudo illorum prudentiam, qui argumentum futile reticendum in hoc scripto censuerunt.

69.

Præfectus Anglicæ Missionis. Libri quidam à P. Personio scripti.

Quo gravioribus in Anglia periculis exposita Societas erat, eo firmioribus muniendam præfidiis Præpositus Generalis Societatis existimavit: cumque nondum esset constituta Angliæ provincia, quæ à suo provinciali regeretur (id enim nisi post annos triginta factum non est) placuit nihilominus creare præfectum Anglicæ Missionis, qui curam ad omnes à Societate, partim in Anglia, partim in Seminariis degentes extenderet. Ea præfectura Patri Roberto Personio demandari cœpta est anno MDXCVI. Anglorum in Urbe Seminarium regebat magna cum prudentiæ laude, res Anglicas apprime callebat, & Societatem in ea insula difficillimis temporibus felicissime gubernaverat. Pontifex novam hanc præfecturam approbavit: eidem certas leges Aquaviva præscripsit. Personius, præter cetera, tuendæ Missionis augendæque adminicula, dedit operam diligenter ut ingens ediretur in lucem copia librorum, quibus catholica Fides defenditur aut illustratur. Nec paucos ipse conscripsit; illum in primis quo vetustissimam in Anglia, fuisse docet Romanæ Sedis tum doctrinam, tum disciplinam. Errorum, qui deinde irrepserunt, pudendos natales, manifestam novitatem; ac seriem nullo temporum, vel dogmatum, vel denique pastorum, nexu & successione colligatam, ostendit. Nihil huic libro ab adversariis responsum est, uti nec aliis pluribus ab eodem doctissimo viro editis: vix enim ullus abibat annus, quin aliquo ejusmodi telo vel ipse, vel amici, eo impulsore, Hæresim vulnerarent.

70.

Littere Præpositi Generalis ad Sacerdotes Societatis in Anglicanaveina laborantes.

Non contentus Aquaviva præfectum Anglicæ Missionis, & alumnos Seminariorum præclaris legibus instruxisse; scripsit ad universos, qui evangelicum opus in Anglia faciebant, sacerdotes Societatis*, in hæc ferè verba. Facere, inquit, non possum, quin vos ineunte anno meis litteris conveniam, præsertim post atrocissimam tempestatem, quæ vos anno superiori exercuit, ut misericordiæ divinæ sit omnino tribuendum, quod ea consumpti non fueritis. De quo tam singulari beneficio gratias illi agimus immortales, hortamurque ut eodem cælesti patrocinio freti, constanter in civium vestrorum salutem incumbatis; habeatisque pro certo nunquam illud vobis defuturum, si vicissim ea præstare studeatis, quæ vestrarum sunt partium, & quæ à vobis præstari confido. Pro nostri tamen muneris ratione, quædam, consolandi potius quam cohortandi causa, in memoriam vobis revocanda duxi. Admonet in civium vestrorum salutem institutiones, earumve compendium, identidem legant, eaque lectione informant animis imaginem vitæ religiose, Instituto nostro congruentem. Commendat postea studium obedientiæ, ut hostium omnes impetus non sustinere modo possint, sed etiam testatur à se præscriptum, ut à rebus politicis tractandis abducant se se quam longissime, imo curent reipublicæ perturbatores omni ope compefcere; & pacem inter se se, cumque externis concordiam fovere. Subjungit nonnulla de religiose paupertate, cujus genuinum amorem cupit ab iis ostendi parcimoniæ studio, moderatione in cultu corporis, in victu, & cetero usu quotidianæ vitæ: laudat vocem Apostoli: *Habentes alimenta & quibus regamur, his contenti simus**. Hujus autem virtutis colendæ necessitatem petit ab ipso voto, à crebris ejus negligentia occasionibus, à catholicorum sensu, quibus *vita superbia** in hominibus religiosis, & oneri & offensionis est. Subjicit præfida quædam tuendæ castitatis, cujus custodia tanto difficilior, quanto acriores hostium intus & foris conatus ad eam expugnandam. Antevertant igitur vel minimas illorum molitiones, & crebro conscientiæ examine detegant, retundant oratione, eludant fuga; carnis maceratione & sobrietate frangent. Abstineant vero ab accipiendis muneribus, maxime feminarum, erga quas severitatem potius, quam indulgentiam studeant adhibere, ut regulæ nostræ volunt. Significat optatissimum sibi esse, ut bini una degant:

* V. Id. Jan. 1607.

* Ad Tim. 6.

* I. Joan. 2.

degant : aut saltem alter ab altero non ita longè abfit, quin facile in eundem ambo convenire locum possint . Quod si ne id quidem licet , detur negotium, alicui è Sociis spectatæ virtutis & prudentiæ, ut ceteros invifat, cum his agat de rebus divinis; eorumdem vota, cum renovabuntur, excipiat; invigilet omnibus denique ac prospiciat, præfertim si fuerint à Missionis præfide longius disjuncti. Claudit epistolam his Pauli verbis: *Speftaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus* * itemque istis Petri: *Vigilate, quia adversarius vester circuit quaerens quem devoret* *. Quæ fufius exponens oratione sacri ardoris plena novam omnium animis alacritatem addit . Sane, si de unoquoque Christianorum vere pronunciari potest, *In medio laqueorum ingredieris* *: ea vox in eos maximè sacerdotem cadit, qui inter assidua, non corporum magis, quam animorum, discrimina versantur: idque unius è nostris exemplo periculoso confirmare licet: ex quo intelligetur quam temere faciant, qui suo potius, quàm præfidum ductu res, etiam ad fructum pietatis splendidas, aggrediuntur.

* I. Corint. 4.

* I. Petr. 5.

* Eccli. X.

Is erat P. Jacobus Sharpus (Pollardum alio nomine vocatum invenio.) In Angliam è Belgio proximè superioribus annis redux, nihil sibi faciendum prius putaverat, quàm ut parentes suos ab hæresi traduceret ad veram Fidem. Ut vero colloqui cum iis liberius posset, hortatus illos est ut adibus relictis, & natali solo, commigrarent in aliquem, ubi frequentes catholici degerent, locum. Assentiuntur: commigrant. Filius paternis in adibus, ubi se tutissimum rebatur, sensit divini oraculi veritatem, *Inimici hominis domestici ejus* *. Conjurant in filium parentes clam, & eum à catholica Fide divellere constituunt. Admonent irenarcham, & cum illo consilia de pervertendo filio conferunt. Irenarcha, Græca vox, præfidem pacis sonat. Id nominis in Anglia certis magistratibus datum, ut antea retulimus. Adest irenarcha, velut ex improvifo: conspicatus Sharpum minaci vultu quaerit quid istic rerum agat, cujas sit, cujus religionis & instituti. Parentes filium fatentur: cetera dolosè silent. Urget irenarcha, & sacerdotem esse contendit, illumque custodiæ parentum, donec omnia plenius examinentur, committit, exitium interminatus patri, si filium elabi patiatur: simul duos assignat è familia servos, qui satellitum ritu, ab ejus latere non discedant. Parentes, in speciem & ore tenus mæsti, intus lati successu, filium bono animo esse jubent; pollicentur se periculi quidquid instaret, depulsuros; pecuniam, corporis lautio rem ornatum, & alia id genus, emolliendis animis opportuna prolixè subministrant. Olfecit infandam artem Christi miles, & ingenium ad fugæ consilia vertit. Interea domum ventitabant submissi à parentibus doctores hæretici, & ex insidiis committebant varium de religione certamen, modo apertius, modo rectius, ut res posebat. Et fuit qui justæ conditionem pugnae ac locum offerret, in victoris partes concessurum se, si vinceretur, affirmans. Accepit conditionem Sharpus, ut à custodiendi anxia sollicitudine parentes paulisper averteret. Fingit se de uno illo certamine cogitare, cum totus esset in meditanda fuga. Quid multa? Equum ab amicis obtinet: ac per tenebras evolat. Sed arrepta, quæ semper excubias agebat, familia proflit, insequitur, reducit. Lamentari enimvero mater, pater acerbis conqueri: illa interdum filium asservare, hic noctu dormientem habere in eodem secum lecto. Januæ multis clavibus obserantur, fenestræ omnes ferreis muniuntur veftibus; nemo ad colloquium admittitur, ne consanguineus quidem. Tentavere aditum catholici dolo: certum hominem mendici cultu mittunt, qui exploret quo res loco sit, ac si qua recludat aditus molles via, alloquatur. Deprehensus explorator pius, regiis satellitibus traditur, vinculisque mandatur. Tunc parentes, deposita quasi persona, rem agere palam; filium disputantibus debellandum objicere; nihil quietis induciarum concedere, ut saltem defatigatione frangeretur. Id ubi parum proficit, amplam hereditatem proponere, nobilem sponfam, opulentam domum. Addebat mater precibus lacrymas; gladium etiam offerebat, orans ut maternum peteret sinum, si pergeret aversari preces: ambo deinde ad filii pedes, profusis lacrymis, accidebant. Stabat immobilis, licet acri dolore saucius in tam difficili pugna, filius; secum istas revolvens Christi voces: *Qui amat patrem aut matrem plus quam*

71.
P. Jacobus Sharpus immane periculum adit a parentibus.

* Matth. X.



* Matth. 37.

me, non est me dignus*: Nec non istas Hieronymi: *Si mater sparso crine, scissis vestibus, ostendat ubera: si pater in limine jaceat; per calcatum perge patrem. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.* Neque tamen omittebat rationibus & argumentis patrem urgere, quibus cum non esset senex respondendo par, ad suos theologos filium revocat, rursusque in mediam disputationem conjicit. Invitantur sectæ proceres, magistratus etiam admonetur: conferuntur manus in hæreticorum frequenti & catholicorum confessu, parente utroque non spectante modo, sed adversarios stimulante. Tanto furore victum & perditum filium cupiebant! Sed hic ipse illorum ardor excussit ipsis prædam è manibus, & filio denique effugium aperuit. Dum acriter decertat, adversariosque punctim, ut dicitur, & caesim ferit, exclamant sacerdotem esse, ac theologum Papistam; neminem alium arma sacrarum litterarum tractare tam feliciter ac scienter posse. Sharpus adhuc se sacerdotem esse omnino celaverat: verum postquam rescivit edicto regio datam sacerdotibus catholicis liberam discedendi ex Anglia potestatem, & perpetuo fruendi exilio; unam hanc sibi restare viam, qua vim injustam effugeret, cernens, ultro se sacerdotem confitetur, & exilii jus reposcit. Hic repente mutata scena: parentes metu attoniti obriguere: doctores hæretici vociferantur sumendum de Papista supplicium: magistratus injicit sacerdoti manus: Eboracum abducitur in vincula. Duos menses in carcere jam hæserat, id agentibus apud regium Consilium parentibus ut perpetua custodia teneretur potius, quam exilii fruere beneficio, dum sperant aliquando expugnari posse, ejusque saltem conspectu in mitiore custodia se beandos confidunt. Neque recusarunt judices, modo non abnueret interesse concionibus publicis, & Juramentum Fidelitatis Angliis omnibus oblatum, edere. Sharpus beneficium legis opponit, copiam exulandi, quæ sacerdotibus omnibus fieret, negari sibi non posse pugnat. Vicin, insalutatique parentibus ex insula se proripuit. In eam denuo reverlus, infidam domum, & blandos hostes fugiens operam utilem navavit alienis, quam in suis tanto periculo luserat. Decimo sexto circiter post hunc MDCVII. anno in Societate decessit.

72.

Domus probationis Anglicana in Belgio.

Hi sunt illi scopuli, ad quos interdum, etiam defuncta gravissimis procellis, virtus adhærescit, nisi regatur obedientia, nisi Dei timore muniatur. Quod Personius sapienter prospiciens, agitabat animo jamdudum, ut domum aliquam probationis in Belgio constitueret, in qua Seminariorum alumni, qui Societatem ambiebant, alique ex Anglia sacerdotes, ejusdem candidati, condiscerent arma cœlestis militiæ tractare per otium, & ad ejusmodi pericula fortiter ac tuto subeunda pararentur. Etsi enim in vicinarum provinciarum tirociniis instituebantur, minus tamen commode id fiebat, eorumque numerus oneri jam cœperat esse provinciis. Ad propriam domum illis ædificandam plurimum adjuvit liberalitas Hispanæ virginis Aloysiæ Caravajaliæ. Hæc ab Aragoniis orta regibus, totam se dederat studiis pietatis: & sublati morte parentibus, sui juris facta, vindictam ab injusti tutoris avaritia dotem tradidit in P. Josephi Creswelli manus, qui vices præfecti Anglicanæ Missionis gerebat in Hispania. Perlecta Patrum Edmundi Campiani, nec non Henrici Walpoli mors; tum meditatio rerum cœlestium, ex qua maximè intelligitur quantum sit vel unius animæ pretium, ita nobile virginis pectus accenderant, ut non suas duntaxat fortunas, sed se ipsam, si res tulisset, tutandæ in Anglia religioni, quam diris vexari modis sæpe audiebat, consecrare perciperet*. Ergo pecuniæ summam hanc ædificandæ domui Societatis in gratiam tironum Anglorum destinavit, ubicumque P. Roberto Personio videretur. Ac Patri quidem Creswello placuerat, annuente Philippo III. domum istam ponere Flaviobrigæ (Bilbaum vulgo vocant) in Cantabria. Sed præter cœlum non usquequaque Angliis amicum, aliasque gravioris momenti difficultates, ipsa loci longinquitas, itinerumque sumptus & pericula Personium deterrebant. Sedem aliquam in Belgio, vicinam Seminarium Anglicanis, circumspicienti obtulit sese in finibus Flandriæ & Artesiæ pagus Watenensis*. Ei pagus imminet collis, in quo Clementia Flandriæ Comes templum olim & cœnobium condiderat, certisque dotaverat prædiis, in Episcopi deinde Audomaropolitani jus;

* Vide infrà n. 95.

* P. Henr. Morus lib. V. n. 4.

* An. 1072.

jus & mensam, ut vocant, à Pio V. translatis. Erat Jacobus Blasæus ejus urbis antistes, è sacra D. Francisci familia. Qui cum religionis in Anglia Belgioque strages præ oculis haberet, novum aliquod præsidium tot damnis & cladibus opponere cogitabat. Ea secum reputantem P. Ægidius Schondonchus, Audomarenfis Anglorum Seminarii moderator, convenit: acceptas nuper litteras à Personio, locum ubi tirocinium Anglicum poneretur investigante, ostendit. Cui antistes religiosissimus; Venisti huc non sine Numine, inquit: in ea ipsa constituendi uspiam hujus tirocinii cogitatione defixus eram: & occurrebat Watenensè monasterium hisce consiliis peridoneum. Hæresi opponenda est hæc munitio. Probavit mentem præfuls Scondonchus: liberalitatem Personius laudavit, & gratias ingentes egit. Paulus V. ratam illam esse jussit. Rex Catholicus negotium Alberto Archiduci Belgium gubernanti enixè per litteras commendavit.

Agebat Bruxellis Angliæ regis orator apud Archiducem. Is litterarum ejusmodi rumore commotus, & veteri Anglorum Calvinistarum in hæc Seminaria odio incitatus; præsertim cum vigeret adhuc recens memoria illius tetra conjurationis, quæ tantam catholicis conflagravit invidiam*, trepidus ad Albertum accurrit. Rem enimvero molestissimam Jacobo Regi fore significat; obtestatur ne illam Belgico Consilio proponi patiatur; minas precibus admiscet. Conturbatus Archidux litteras Philippicæ Pontificis ad Consilium Belgicum non retulit. Urgebat Albertum Blasæus, regia auctoritate ac mandato fretus. Visum est placari oratorem Anglum posse, si nulla fieret in Pauli V. litteris Angliæ mentio. Itaque, cum esset in diplomate Pontificio scriptum, institui à Patribus Societatis hanc domum probationis, *ut non tantum regionem illam (Belgium) plurimum in Domino consolari possint, sed vicinum etiam Angliæ regnum & catholicos ejusdem, Fidei causa in eo laborantes spiritualibus juvare subsidiis, &c.* Item, *ut in ea domo, donec regnum Angliæ ad Fidem catholicam revertatur, ac collegia & domus dictæ Societatis in eo erigantur; nobles Angli, & alii pro missionibus ad dictum regnum pro tempore destinati, præcipuè admitti possint.* His verbis deletis, reposita sunt sequentia: *Ut dicta domus probationis Societatis Jesu religiosi vicina oppida & vicos obeundo, pro instituti sui ratione, non tantum regionem illam plurimum consolari possint; sed vicinas etiam provincias & regna, & catholicos eorumdem, spiritualibus subsidiis, pro loci propinquitate & opportunitate, plurimum juvare valeant.* Hac mutatione mitigatus est orator Anglus, & monasterii Watenensis inita rite possessio. Neque tamen adduci unquam Albertus potuit, ut eo in loco familiam tironum confidere pateretur. Domum initio pauci coluerunt Angli; rem familiarem Belgæ Patres administrabant. Ergo quæsitæ sedes alia tironibus, & collocata Lovanii primum anno MDCVII. deinde, propter Angli Oratoris querelas, & aerem novitiis parum æquum, Leodii anno MDCXIV. exeunte: traductis tamen ad eas domos vesticibus è Watenensè præpositura colligi solitis. Quemadmodum Watenas revocatum fuerit idem tirocinium dicitur inferius*. Timuerat Antistes Audomaropolitanus ne mutatio in litteras Pontificias inducta pristinis suis de Angliæ unice juvanda consiliis obesset. Accessit alius subinde metus è Belgicæ provincia partitione in duas, unam Flandrobegicam, alteram Gallobegicam. Petiit à Præposito Generali, ut quæcumque tandem incideret mutatio, non traderetur cœnobium ejusque proventus aliis quam Anglis tironibus: itaque sancitum est.

Dum Anglicanis tironibus paratur domus, miles veteranus ex eadem gente P. Thomas Garnetus emeritæ militiæ præmium accepit anno MDCVIII. Erat P. Henrici Garneti nepos, quem anno MDCVI. egregia morte perfunctum vidimus; filius vero Richardi Garneti, cujus celebre apud Anglos catholicos nomen propter insignè studium religionis. Ineuntem ætatem exegerat in Seminariis Audomarensi & Vallisoleitano. Sacris excoltus litteris, & auctus sacerdotio, rediit in Angliam, animas, ærumnas, necem quæsiturus. Probavit industriam per annos sex in Evangelico ministerio consumptos, & ab Henrico Garneto in Societatem acceptus est. Ibat in Belgium tirocinii ponendi causa, cum Catesbyana conjuratio erupit*. Oculis portibus, itineribus obsessis, dum oberrat anxius, capitur. Nec ita multo post Henricus Garnetus est comprehensus. Ambo Londinum

* Supra. n. 45.

* Num. 130.

A. C. 1608.
Soc. 69.

* Supra. n. 46.

73.
P. Thomas Garnetus capitur.

perducti, & disjunctis carceribus inclusi sunt. Henricus in Turri Londinensi assertus viam, qua nepotem carissimum per litteras conveniret, reperit. Sed intercepta epistola Thomam in gravissimum adduxit periculum. Hoc enim indicio vocatus in suspicionem Catesbyanae conjurationis, in eandem Turrim cum Henrico, cui crimen istuc obiciebatur, tanquam sceleris nefandi conscii particepsque, pertractus est. Productis P. Henrici litteris, nihil repertum quod valeret ad firmandam suspicionem; pernegante acriter ac resellente quidquid opponebatur, Thoma. Ego vero, exclamat atroci voce Cecilius, excusam quod impudenter negas: ferrum, trochleas, equuleos expedite. Nihil equuleo ceterisque crudelitatis ingeniosae artibus expressum est. Itaque in ergastuli fetentis cavum retractus, novem pane mensibus ibi jacuit, eosque collegit morbos ac dolores, quos sola denique mors sanavit. Interim cuncti sacerdotes ex Anglia impune facessere jussi sunt edicto regio. Exilii beneficio Thomas noster vincula deposuit, & oscula patrio solo figens Lovanium se contulit, ibi prima religiosae vitae rudimenta positurus; nam Lovanii recens collocatam Probationis domum proximè diximus*. Perfectae virtutis culmen attigisse deprehensus est qui venerat ut primos ejus gradus ascenderet. Quamobrem paucis mensibus elapsis, recurrit in pristinam arenam; firmaturus catholicorum in impio juramento recusando constantiam non verbis & concionibus, sed tormentis & morte. Vix littus Anglicum tetigerat, cum obtulit se Rovvseus sacerdos, hostilem animo amico vultu regens, catholicae religionis desertor, lupus sub ovilla pelle. Ab eo in satellitum manus perductus, Londinum deportatur. Erat Londini Thomas Ravifus antistes, qui religionis causam hanc ratus, cujus proinde cognitio ad se pertineret, Thomam Garnetum evocat.

* Supra. n. 72.

74.
Juramentum subdolum fidelitatis edere abnuit.

Multa sciscitatus, quae perfacilem habebant defensionem, delabitur ad Juramentum Fidelitatis, quo tanquam Gordio nodo implicandum sperabat. Nunc datur locus, inquit, ubi probes tuam Regi fidem: tuumque simul caput ac libertatem in tuto colloques. Quid dubitas debitum Regi obsequium juratus profiteri? In me vero, Garnetus retulit, nihil est morae, quin jusjurandum fidelitatis edam: sed quo debet subditus modo, quo catholicus potest. Sua sint sacerdotio & imperio, civili & Ecclesiasticae potestati, jura salva. Cur hanc destruitis, ut illam adstruatis? *Reddite quae sunt Caesaris Caesari; at quae sunt Dei, Deo** ne detrahitis. Ravifus iram simulata lenitate premens: Confido, ait, quae tua est prudentia, futurum ut melius tibi ipse consulas, re maturius expensa. Deliberandi spatium do, menses quatuor: poteris interim Blakuellum Archipresbyterum consulere, virum insigni pietate ac doctrina praeditum, tuamque sententiam ex ejus consiliis moderari. Mihi, respondit Garnetus, neque consilio neque temporis opus. Deliberatum & fixum est quid sentiam: & in religionis causa neminem, praeter Pontificem Romanum, audio. Aderat Ravifus Wadeus, catholicorum Phalaris. Excanduit ad liberas sacerdotis generosi voces; & Episcopum inclamans; Hunc vero, inquit, nisi statim ad crucem rapi jubes, nunquam huc pedem inferam. Cui praesul; Rem arbitrato tuo gere: per me non stat quin ista male pereat. Nec per me stat, subjecit Garnetus, quin illico fortunata nece defungar, cui *vivere Christus est & mori lucrum**. Exarsit graviore in iras Wadeus, & in Garnetum ac Religionem impotentis stomachi virus proletariis maledictis effudit. Lenius multo egit antistes: ejus ingenium, mores optimos, laudavit, quos è multis cognovisse se narrabat. Nisi forte, inquit, illud est quod vulgo perhibent, Jesuitas, cum semel vestem Societatis induunt, exuere simul ceteras dotes, quibus antea erant ornati. Nos vero, intulit Garnetus, ita religiosas virtutes induimus cum hac veste, ut civiles & humanas, ac praesertim debitam legitima potestati obedientiam non exuamus. Multis ultro citroque in hanc sententiam agitatis, Pater in carcerem Novae Portae, unde brevissimum ad necem & solenne iter est, ducitur. Nactus illic opportunitatem scribendi ad P. Holtbeyum, Missionis praesidem, exposuit quae gesta erant: tum juramenti quandam formulam exaravit, qua depelleretur calumnia hominibus Societatis impingi solita, quasi minus Principi fidelibus. Juramentum his conceptum verbis erat:

* Matth. 22.

* Ad Philipp. 1.

Ego

Ego Thomas Garnetus profiteor ex animo, sinceritatisque meæ Superos facio testes, certum mihi esse obsequi Regi meo legitimo Jacobo; eique fidelitatem omnem præstare, quam ipsi deberi naturalis, divina, & Ecclesiæ veræ lex docet. Ac si quid ulterius à me postulatur, contestor omnibusque rerum æquis aestimatoribus denuncio, majorem à Rege nullo flagitari fidelitatem eâ posse, quam divina lex imperat; nec majorem à subdito posse præstari aut jurari, quàm quæ ab Ecclesiâ Christi probatur. Sic censeo: sic me Deus in suprema vitæ meta juvet. In eâdem epistola rogabat Holtbeyum etiam atque etiam, ne quid fineret ab amicis tentari ut vinculis eximeretur aut nece: omnino futurum sperare, ut catholicæ rei plus multo prodesset properata morte, quam producta longius vita.

Hinc illa nimirum alacritas, quæ in ipsius vultu emicuit, cum quadriduo post in judicium confessu publicè dicturus confitit. Capita quatuor & scelerata, ut vocabantur, objecit Montacutius. Primum, quòd Romanus esset sacerdos: alterum, quòd è Societate Jesu religiosus. Utrumque antea, cum fuit captus, consulto reticuerat: tum ne accusatorum partes munusque praverteret, quorum est probare crimina, quæ reis imponunt: tum, quòd sæpius audierat conquestos esse regios senatores de nonnullorum sacerdotum imprudentia; qui cum se temere aperirent, necessitatem judicibus afferebant in ipsos agendi lege ac sæviendi. Hoc vero ne quis metu factum à Garneto suspicaretur, ipse majoribus litteris in carceris pariete suum nomen exaraverat, addito sacerdotis titulo. Id custodes carceris testabantur, & Wadei satellites: quia tamen ad fidem faciendam satis argumenti hoc non erat; si Garnetus videlicet à se negaret scriptum, non negavit: & cum jactam esse vidit feliciter aleam, utrumque istud caput palam est & apertè confessus. Tertium, quòd catholicos seduceret, omnino inficiatus est, immanemque calumniam diligentissimè refutavit. Quartum, quòd sacramentum Fidelitatis dicere abnueret. Id vero ita concessit, ut simul inficiaretur quidquam à se contra debitam Regi fidelitatem peccari; statimque chartam è sinu prompsit, in qua juramentum fidelitatis, quod modo recitavimus, conscripserat. Erepta illi de manibus; ipse à judicibus perduellionis reus pronunciatus fuit. Exemplò retrahitur in infimum carceris horridi specum, & catenis oneratur. Frequentes adire catholici, ut ejus fausta precatione fruerentur, exuviasque tenues, tanquam sacra monumenta, deriperent. Quos ille increpitans & stens, Quid agitis? inquebat: nondum stadii metam attingi. Captus, judicatus, condemnatus sum; restat ultimus tamen gradus, quem ut conscendam, orate, quæso, cælites; neve meis votis moram ullam opponite. Exacto biduo educitur lætitia gestiens: properare ad epulas, ad regnum, diceret. Obvium habuit Thomam Cecilium, Regi ab interioribus consiliis; & cum eo demissâ voce disseruit per horam fere dimidiam. Id agebat Cecilius magna contentione, ut eum ad sacramentum Regi dicendum induceret: pugnabat exemplo catholicorum aliquot, etiam sacerdotum, à quibus dictum fuerat: opes, libertatem, Regis gratiam offererat. Vexatus inutili oratione Garnetus, Non faciam, inquit; non, si mille vitas & sexcenta regna meream. Aversoque ore in plaustrum patibulo subjectum insiluit.

Ex hoc pulpito civitatem, quæ ad spectandum convenerat, intuens ore blando; Sacerdos, ait, Ecclesiæ catholicæ sum, & Societatis JESU religiosus, omnium qui censentur in eadem infimus; hodie tamen omnium, meo quidem judicio, fortunatissimus; cui datum sit pro veritate ac debita Romano Pontifici obedientia mori. Audiebat hæc molestissimè rabula Calvinianus à tergo stans: & Num, inquit, verè ac citra omnem ambiguitatem loqueris? Ego vero, inquit Garnetus, hic simulare nihil aut dissimulare possum. Instante nescio quo ut, si quidem esset ipsi deliberatum mori, Calvinum sequeretur ducem ad beatam vitam certissimum; leniter hominem palpans deridensque, loqui cum populo perrexit, & contestari, se remotissimum semper fuisse, ab omni, quod contra Regem initum esset, fœdere & machinatione: ita vixisse in patria, ut in una salute animarum curas omnes suas & cogitationes defigeret, catholicosque ad pacem & patientiam hortaretur. Postea pronunciavit formulam juramenti à se exaratam; & rationes

cur

75.
Crimina quatuor illi objecta.

76.
E ferali plastro populum alloquitur.

cur aliam edere catholicus nemo posset, breviter subtexuit: oculis demum ac manibus in cælum sublatis, egit immortales Superis pro forte felicissima gratias; ac Deum enixè precatus est, ut justas adversus regnum iras poneret; nec Regi, ceterisque suæ necis auctoribus, eam fraudi ac damno esse vellet. Monitus ut finem dicendi faceret, osculum patibulo, resti osculum suave fixit: eamque collo inserens, ac rogatis ut secum precarentur catholicis, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, symbolum Apostolicum, hymnum Veni Creator, alta voce recitavit: hisque in vocibus, *Sermone ditans guttura*, subducto curru, pependit. Venit Thomas Cecilius, itemque populus, ne restim ante scinderet carnis, quàm exspirasset.

77.
Post obitum
laudatur ab hæ-
reticis.

Celebrata diu omnium, etiam hæreticorum, sermone fuit sacerdotis invicti fortitudo; qui religionem & obsequium Summo Pontifici debitum retinere, quàm libertatem vitamque maluisset. Cum tortor divisa quatuor in partes membra corporis asportaret, figenda pro urbis portis, Anglus nobilis Guillelmus Atkinson vestes partemque corporis haud modicam, oblatâ tortoribus pecuniâ summâ non levi, abstulit. Haud inutilem impensam hanc fuisse paulo post comperit. Gravi enim confictatus morbo, salute jam desperata, jussit asferri sibi dulces amici reliquias: & à saluari cadavere vitam hausit, subito sanatus, viribusque tam integris, ut postredie iter negotii obeundi causa olim destinatum & necessarium ingressus sit. Annum agebat Garnetus quartum & trigésimum, dignus qui longiore gauderet vita: illustriori certe fato mori non potuit. Ejus memoria legitur Anglicis annalibus Stowii cum hoc elogio consignata: *Nono Kal. Quintiles anno hujus seculi octavo, Jacobi regis sexto, Thomas Garnetus morte ad Tiburnum affectus est; oblatâ vitâ, si juramentum edere voluisset: sed utrumque recusavit.* Illud quoque traditur, Jacobum audita Garneti nece, & quemadmodum fœderatorum impia consilia detestatus, pro Rege regnoque piè Superos ac publicè comprecatus esset, succensuisse graviter antistitibus Cantuariensi & Londinensi; qui reos tales eligerent ad pœnas recusati Juramenti lueudas, quorum mortem illustre populo præberet spectaculum, & fidem ipsi Juramento auctoritatemque derogaret. Certè ab eo tempore vexatio catholicorum haud parum remisit. Neque solum confirmati fuerunt tam illustri exemplo nutantes catholici, verum etiam hæretici amplius ducenti ad Ecclesiæ sinum revocati, à quo nulla deinde fortunarum & ipsius vitæ jactura divelli potuerunt. Hæresim exosam præterea fecerat regis ministrorum avaritia & crudelitas, etiam Episcoporum, qui favam exercebant nundinationem, & bona catholicorum sic rapiebant, ut redimendorum facerent potestatem: redempta rursus invadabant; adeo ut inventus sit qui sua septies redemerit. Valuit etiam ad asserendam vetustæ veræque religionis fidem resossum per idem tempus in Londinensi S. Pauli templo sepulcrum militis, in eoque reperiæ litteræ Bonifacii Summi Pontificis, quæ concessam à Sede Apostolica militi & ejus uxori delictorum veniam testabantur.

A.C. 1609.
Soc. 70.

78.
P. Jonesi ad Soc-
cios epistola.

Hæc & alia id genus catholicæ veritatis argumenta quo plus auctoritatis Errori detrahebant, eo vehementius esserant ejus defensores. Itaque nostros per litteras cohortandos duxit qui præerat Anglicæ Missioni P. Robertus Jonesus. In hanc epistolam conjecit quæ usu longo cognita notaverat. In primis commendat illis orationis studium. Hunc ait esse clypeum, quo muniantur; hoc oraculum, quod consulant; hanc arcem, quod se recipiant. Jam, si quid suppetat otii post solitos labores, illud suadet impendant in studia sacrarum præcipuè litterarum, non inutili concursatione disperdant. Post multa de paupertate, quæ viros apostolicos deceat, fusè graviterque dicta; subdit cavendum ne quid nimis contemptum & elegans in corporis cultu appareat. Nullum, inquit, audivi quem offenderet prudens quædam in eo genere negligentia: multos, quibus valdè displiceret quidquid in victu cultuque prodiret vel leviter extra modum. Postea commemorat solita castitatis præsidia, fugam, orationem, metum sapientem & suis viribus diffidentem. Epistolam claudit pia Divi Thomæ precatione, cujus partes singulas uberius explicat. *Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducatur te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum,*

rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa & violenta affectio. Quod si tempus ullum exstitit, quo salutaribus id genus monitis locus esset, annus profecto millesimus sexcentismus decimus fuit, quo Ecclesiæ catholicæ vexatio in Anglia recruduit. Novæ sancitæ Leges, præsertim tres. Prima, ut Fidelitatis Juramentum bis anno quolibet ab omnibus ederetur. Secunda, ut singuli ad cenam Calvinisticam compellerentur. Tertia, ut investigarentur acerrimè catholici, qui, ne fortunis spoliarentur, eas deponerent apud amicos hæreticos: utriusque pœnæ gravissimæ sunt constitutæ. Hinc piorum facta tristes undique fugæ. Multi nihil tutum inter homines rati, ferarum latibula captaverunt, ac diripiendas licitoribus domos permisere. Angli proceres missos fecerunt quos habebant in familia catholicos, Regis iram veriti: vixque orator Gallus interesse rei divinæ furtim domi suæ paucos patiebatur. Novi carceribus vestes additi, novæ acerbitates; ac nescio quis ergastuli custos suo inclusus ipse carcere est, quia duos sacerdotes colloqui simul passus erat.

Eluxit in his tenebris multorum virtus ac fides: neque in catholicorum duntaxat constantiâ triumphavit gratiæ cœlestis invictum robur, sed etiam in hæreticorum aliquot sancta defectione ab impiorum consortio. In iis merito numerari potest pars sceleratorum: si tamen eos hoc nomine convenit appellare, qui sceleratam ac turpem vitam pulcra & pia morte feliciter emendaverint. Vinciti eadem catena tenebantur in carcere. Necis vicinæ metus injecit illorum alteri salutis curam, & catholicæ religionis amplectendæ voluntatem; in qua certam omnium consensu, etiam hæreticorum, salutem esse audierat. Sacerdotem, à quo expiaretur, anxie perferunt, commodum oblatus est unus, hoc ipso tempore conjectus in idem ergastulum. Ardebat hominem convenire: custodes vetabant: prohibebat etiam hæreticus pertinax & stolidè imperitus, cum quo eadem catena junctus erat, licet animo disjunctissimus. Hunc vincere ac docere aggreditur. Morimur, inquit, o bone: & nisi providemus, æterna mors crastinam excipiet. Quin saltem hac necessaria morte vitam nobis sempiternam comparamus? Hac oratione motus alter, audit, excitatur, docetur, vincitur. Ambo innuunt sacerdoti; qui scelera & hæreseos vinculis utrumque solvit. Ductis ad patibulum, postridie minister de Calvini grege præsto est, cum inani jocularis cenæ frusto. Rident hominem ac respuunt. Ubi esse catholicos, & priscam Angliæ religionem laudare cognovit, indignum ratus homines indoctos tam fidenter doctore vetulo insultare, alios quosdam è suis sodalibus evocat. Conveniunt theologi primores scholæ Calvinisticæ, multa deblaterant: incassum. Respondent felices ficarii se, dum novam religionem sequuntur, ab ea ductos ad patibulum fuisse: nequaquam posse fieri, ut ab eadem è patibulo in cœlum ducantur. Laudavit populus responsum; & erroris ministros attonitos trepidantesque risit. Non abludivit ab eo responso vox alterius cujusdam, qui rogatus ab iisdem cur ad catholicorum transfret castra; Quia, inquit, observavi vobis ea omnia odio esse, quæ diabolus execrat; crucem nimirum, aquam consecratam, sanctorum nomina. Inde vos nimium ipsi esse familiares & amicos intellexi.

Nemini pariter catholico deerat quod instantibus adversariis responderet, quicumque libros à religionis doctoribus editos perlegerat; ac præsertim eos qui erant à P. Roberto Personio conscripti. Magnam ex illis capiebant utilitatem, erroris æque ac veritatis cultores; hi ut plenius docerentur; illi ut facilius dedocerentur. Atque haud scio an ulla res aliâ majorem eâ tempestate vim habuerit ad sustinendos a lapsu plurimos, qui ruebant in hæresim præcipites. Unum aut alterum exempli causa ponam. Franciscus Walsinghamius cum Londini floreret eruditionis fama inter doctores Ecclesiæ, ut isti vocant, reformata, id maximè laborabat, ut ad eam quamplurimos alliceret. Incidit aliquando in juvenem, Calvinii affectam illum quidem, sed catholicorum partibus non nimis infensum. Confirmare nutantem studuit petitis ex intimo theologiæ Calvinisticæ penu argumentis. Ubi rem non satis procedere videt è sententia, librum ei tradit in manus, certissimum antidotum, inquebat, contra doctrinæ Papisticæ virus. Accipit adolescens,

79.
Catholici constantes. Sicario-
rum fortunata
mors.

80.
Fruens ingens
è P. Personii li-
bris captus.

lescens, ac vicissim illi porrigit conscriptum à Personio libellum, & mutuum spon-
sionem exigit ut legat. Legit, primo quidem per ludum & jocum: scilicet ha-
retico supercilio despicens omnes catholicorum fetus: nihilominus unam alteram-
ve paginam versans, ea offendit quæ legendi sitim accenderent. Pergit; inque
illum incurrit locum, ubi Personius Lutherum, Calvinum & eorum gregales ve-
ris nativisque depingebat coloribus. Tum secum: Male profecto nobiscum agi-
tur, si tales isti revera sunt, quales hic pinguntur. Domi non erant in prom-
ptu volumina, quibus Papisticum scriptorem coargui putabat posse. Alium atque
alium dissimulato consilio doctorem consulit: verba sibi dari ab omnibus perspi-
cit. Igitur Londinum excurrit; amplissimas bibliothecas perlustrat; confert cita-
tos in libello, unde sumpta erant argumenta, locos: nihil depravatum, nihil dis-
sonum deprehendit. Stupenti atque anxio venit in mentem ipsum Ecclesiæ An-
glicanæ, si Superis placet, caput adire, ac judicem proinde controversiarum, Re-
gem. Adit; quid perat, quorsum veniat, exponit; ac ipsum Personii librum,
fontem scrupulorum suorum, ostendit. Agnovit stilum Personii Rex, agno-
vit Bancroftius pseudoarchiepiscopus Cantuariensis; & in auctorem libri fremens,
invisam scriptionem à se traditam publice flammis testatur, scriptorem non le-
nius habiturus, si veniret in manus suas. Cui Walsinghamius; De auctore libri,
inquit, nec mihi liquet, nec investigare animus est: quid dicat, quam vera scri-
bat, quæro. Nam si vera sunt quæ de Lutheri, Beza, Calvinii flagitiis, fraudi-
bus, & mala in scripturis citandis atque explicandis fide dissevit; non potest pe-
jore loco nostra causa & religio esse, quam nunc est, qui hosce magistros habea-
mus. Quæro quis huic libro responderit; quid responsi datum sit, rescire percipio.
Papistas execror, Romam horreo, veritatem scrutor. Fiet tibi satis, exceptit Ban-
croftius: tu modo ad me cras veni. Crastinus dies illuxerat. Cantuariensis, sive
negotio præpeditus, sive de industria, hominem uni de suis sacerdotibus & disci-
pulis tradit erudiendum. Proferuntur Lutheri & Calvinii scripta: perleguntur.
Vera quæ scripserat Personius reperiuntur. Revisit Cantuariensem Walsingha-
mius; quid acciderit narrat. Jocos & convicia pro responso reportat: ac legere
jubetur libros à Thoma Bello conscriptos. Legit. Declamatorem furiosum, non iusta
causæ defensorem, respuit. Inde ad evolvendos doctores catholicos conversus,
ipsum inter se melius, & cum veritate convenire sensit: nihilque cunctatus ad e-
orum transivit partes; ac Romam elapsus nomen Societati dedit anno MDCX. edita
mutata Fidei & religionis historia, quæ multis facem ad imitandum prætulit.

81.

Franc. V Walsin-
ghamius hæresi
deposita Socie-
tatem amplexus

Non felicior Angliæ Rex fuit in catholico nobili, qui profanis litteris tinctus
leviter, sacrarum rudis, ambitione prava ductus decreverat, avita religione de-
serta, doctoris & ministri Calviniani locum occupare vacuum per eos dies & opu-
lentum. Incidit in librum Personii. Eo lecto refrigit ambitionis ardor; invaluit
animum dubitatio. Locos aliquot insigniores excerptis est toto volumine, quibus fal-
sitas Calviniani dogmatis planè ostendebatur. Consuluit Regem, qui eruditus &
esse & dici amabat. Ille, cum nobili satisfacere non ita commodè posset, eum ad
pseudoarchiepiscopum Cantuariensem rejecit, aliosque suos theologos. Proposita
dubitandi rationes, & sæpius in medium allatae sunt. Urgebat laicus sacerdotes, para-
tos imparatus; ac sæpe in eum, unde non possent referre pedem, locum adigebat.
Ipsorum insecuti non minus quam eruditione Personii profecit; atque in retinenda
religionis catholice proposito confirmatus, deposuit consilium quod avaritia &
ambitio suggererant, ac rei totius seriem memoriæ prodidit. Non dissimilem è
Personii libris fructum percepit hæreseos minister inclutus, cujus exstant apud
nos litteræ, ad ipsum scriptæ Personium, in hæc ferè verba. Miraris, inquit,
quod ignotus ignotum interpellem, imo nuper infensum, & pæne abominatum.
Sed tunc in te ac tuam Societatem dicebam probra, ut hæreticus; *sentiebam ut*
parvulus *: nunc Superi meliora. Gratia miraculum vides. His te litteris affatur
Minister Anglicanus, opimo beneficio Ecclesiastico instructus, natus in hæresi, re-
divivus in Sacrosancta Ecclesia catholica; in qua & vivere & mori apud me sta-
tuo. Hoc fecit in me, *qui facit mirabilia* *: quem & laudo, & precor ut quod
cæpit opus bonum, ipse perficiat *. Tibi vero secundum Deum gratia debetur à
me

* I. Cor. 3.

* Psal. 76.

* Ad Philip. 1.

me multo maxima, cujus libris tenebras meas dispuli: libros dico *Christiana resolutionis, & Triplicis Angliæ conversionis*. Rem breviter ab ipsa repetam originem. Ante annos duodecim, cum ad theologiam me penitus applicuissem, cura fuit prima, ut sacros codices perlegerem: adhibui nostrorum commentarios. Illam obscuram deprehendi: hos obscuriores, & inter se dissidentes. Obstupui. Verti me ad alterius generis libros, de moribus & vita scilicet emendanda compositos. Venit præ ceteris in meas manus tuum *de Resolutione* opusculum. Quod cum voluarem, ita sæpe mecum: Quonam fieri pacto potest, ut qui tam sedulo & sanctè bona præcipiunt faciendâ; iidem tam nequiter ac foedè, ut nostri affirmant, falsa proponant credenda? Id animo reputans, Bellarmini vestri, ac nostri Stapletoni scripta quædam percurro, & doctissimi Melchioris Cani locos theologicos. Rem habere se aliter, atque vulgo apud nos jactatur, intellexi, & illico sententiam de nonnullis capitibus pristinam mutavi: in plurimis adhuc æstuabam incertus. Fluctuanti auctor fuit D. Castletonus, vir singulari prudentia, quo multum & familiariter utebar, ut scholasticos theologos adirem. Parui. Mirè affectus sum D. Thoma Aquinate, in quo vim rationum, doctrinæ ordinem, omnia suspexi, etiam quæ minus capiebam. Incidit statim suspicio fucum nobis à nostris doctoribus fieri. Hoc multò sum arbitratus magis, cum recentes catholicos à veteribus nulla in re cognovi discrepare in Fidei dogmatis: nec tenere me potui, quin palam aliqua propugnarem; caute nihilominus, ne quam inimicis ansam darem. Plurimum apud me quoque valuit catholicorum probitas & patientia, quorum aliquos carceres inclusos conveni maxima cum voluptate. Ibi offendi sacerdotem è Societate vestra: cujus in congressu cum valde acquiescerem, ille, Regina extincta, exilio multatus, incertum me & in multis caligantem deserere coactus fuit. Longum est dicere quo jactatus fuerim animi æstu, quibus molestiis curisque vexatus. Jam eò delapsus eram diabolica fraude, ut crederem Romanam & Anglicanam Ecclesias, in capitibus Fidei necessariis consentire; in utraque salutem sempiternam locum esse. Sic annus abiit. Periclitanti ac pæne lapsus subvenisti, mi Pater. Oblatus felici fato mihi fuit liber tuus: *De Triplici Anglorum conversione*. Hic dormitantem excitavit, traxit reluctantem. Perspexi lequeos, & fugi. Nunc me in sinum Ecclesiæ catholicæ recipio. Quæro latebras ubi paulisper delitescam, donec æs alienum meum dissolvero. Quidquid interim occurret periculis & ærumnarum, certum est perferre citius ac pari, quam obligatam Deo fidem frangere. Vale, & hæc tacita, quæso, tecum habe; usque eò dum aperire omnia maturum sit. Evasit ille paulo post cum Oratore Anglo in Hispaniam, ubi Fidem catholicam est professus; & habuit à Regis verè Catholici liberalitate, unde cum liberis & conjuge aleretur.

Sic P. Robertus Personius, etsi Romæ degeret, Angliam tamen docebat absens; ac porro docere librorum operâ perrexit, etiam post obitum, qui incidit in XVII. Kal. Maias anni MDCX. Ortus in Anglia, & litteris excultus, artem dicendi ac differendi professus est in Oxoniensi academia; catholicam religionem, quam à piis hauserat parentibus, animo retinens ille quidem: abreptus tamen æstu ambitionis & profano metu, sacramentum impium, quo se obstrangebant doctores gradum & insignia litterariæ dignitatis accepturi, dixit. Brevi pœnituit hominem erroris; ac tandiu porro, dum suppeditavit vita, pœnituit. Ac primò quidem oblatam inter evangelii Calvinistici præcones locupletem cathedram repudiavit: deinde liberius cœpit catholica dogmata tueri, ac discipulis insinuare. Doctorem suspectum expulit Oxoniensis academia: Belgium excepit voluntarium exulem: Roma in Societatem admisit anno MDLXXV. Societas, jubente Pontifice, divinis litteris ac virtutibus armatum Angliæ remisit, anno MDLXXX. Comes illi additus P. Edmundus Campianus, cum Rudolpho Emersono. Audomaropolim progressos, pæne in conspectu Angliæ, funesti rumores paulùm distinuerunt. Jam enim Personii, jam Campiani prævolaverat fama. Narrabatur quemadmodum ab Archiepiscopo Mediolanensi S. Carolo Borromæo accepti, quam honorificè deducti fuissent. Eorundem faustas cum Beza dimicationes, dum Genève transirent, multi referebant. Itaque utriusque vultus

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

A a

publi-

82.

Litteræ ministræ
hæreticos ad P.
Personium.

S.V.

P. ROBERTI PER-
SONII OBITUS, ET
VITÆ SUMMA.

83.

In Societatem
admissus repetit
Angliam.

publicè descriptus in portubus, & in compitis propositus, ut agniti statim comprehenderentur. Personius sibi levius quàm Campiano metuens, præire solus in Angliam statuit, aleamque tentare. Bellatoris cultum & arma sumit; seque sic fidenter gubernatori Dubrensi sistit. Orat negotium det, ut ne mercatorem Hibernum, Patritium nomine, biduo adfuturum è Flandria portitores morentur, (is Campianus erat;) sua plurimum interesse, ut Londini quamprimum adfit. Gubernatore omnia, quæ penes se forent, pollicito, Campianum admonet: qui statim advolans, impune permeavit.

* Lib. III. hujus
partis, n. 6. & 16.

Personius Londinum rectà pergens, custodiam petit, in qua Thomas Pounds, Societati JESU à biennio in vinculis adscriptus, tenebatur. Socium & commilitonem fortissimum suo & Præpositi Generalis nomine amplectitur, inflammat, consolatur. Evocatus à Pounds clam nobilis adolescens Georgius Gilbertus, quo multum catholici utebantur, ita commotus est amorum suavissima caritate; ut relicta, quam illo ipso die ducturus erat, sponsa, totum se Christo Patribusque dederit, ac religionem non fortunis duntaxat, sed laboribus ac periculis juvare perrexerit*. Personio deinde curæ fuit ut sacerdotes catholicos in unum congregaret locum. Omnes in vetustum Divæ Mariæ trans Tameſim, desertumque templum convenere. Illis, cur venisset, quid ageret, aperuit. Solam animarum salutem propositam sibi esse: vetitum ne publici negotii partem ullam capesseret: recitavitque interdictum Præpositi Generalis gravissimum, quo nostris hominibus prohibebatur, ne de rebus hujusmodi vel sermonem coram se haberi paterentur. Id vero à se omnibusque Sociis observatum iri sanctè confirmavit. Hoc eo faciebat, quòd Elisabetha non alià magis plausiblem ad infectandam religionem oratione utebatur, quàm cum Evangelii præcones ad perturbandum Angliæ statum à Pontifice submissos promulgaret. Quo nomine publicatum contra Seminariorum alumnos edictum atrocissimum per eos dies fuit. Itaque Personius mature Londino demigravit, libello edito suæ mentis interprete, obſide fidelitatis. In eo suspiciones, & crimina in catholicos & Societatem conjecta, quæ legebantur in edicto Regina, confutabat. Denique semovit Campianum ab urbe regia: ipse in insulæ partes obeunti soli subiectas procul recessit, Regina postquam elapsos Londino Personium & Campianum audit, furore accensa, novum tribunal, novos judices, constituit; quibus unica sacerdotes, præsertim Societatis, investigandi cura incumberet. Subita crudelisque licitorum, delatorum, excubitorum phalanx in agros, oppida, domos, silvas & ferarum ipsa latibula, sese effudit. Unius mensis spatio perhibentur quinquaginta catholicorum millia capite damnata, exuta bonis, carceribus inclusa; nec cito mori, præter paucos, iussa, sed diu. Nihilominus, quemadmodum solet oppositis molibus aquarum vis increbrescere, haud ita multis mensibus amplius decem Anglorum millia errorem abjecerunt, plerique doctrina & genere insignes; nec pauci in ipsa Regina aula. Nam hic Personius penetraverat, nullo consistens loco, omnibus ferè præfens, & quò non poterat per se ipse, illuc librorum suorum ope pervadens.

84.
Langdalli libri
de templis hereticorum
frequenter, refellit.

In iis libris admodum tempestivus exiit, quem contra Langdallum, doctorem Anglum scripsit. Is proluxa lucubratione veterem controversiam instauraverat, liceretne catholicis templa Protestantium & sacra frequentare. Licere censebant etiam è piorum grege multi, quia optabant. Quid enim vetat, inquietabant, si quis & sibi, ne labatur; & aliis, ne justa lædantur offensione, caveat. Serpebat malum in dies latius. Occurrit imminenti periculo Personius, ac luculento scripto docuit nequaquam istud innocens & mere civile obsequium esse; quemadmodum Regina satellites pervulgabant; sed impium, & catholicæ religioni prorsus inimicum. Id agere scilicet, id moliri patronos erroris, ut oves insidiosa luporum familiaritate deceptæ, tanto ab illis facilius laniarentur, quanto se ipsis confidentius immisissent. Hoc luctuosis multorum exemplis confirmabat. Nec vero tantum agi salutem catholicorum, quæ certum in periculum vocabatur; sed religionis decus, cui gravis inurebatur impio commercio ignominia. Hanc defectionem esse, hanc proditorem; nec tacitam, sed apertam. Nullum hic relictum dissimulationi locum, siquidem hæc sacrorum communio tanquam

quam signum impietatis ac tessera esset consilio publico præstituta : neque occultari sic Fidem ; sed hæresim suscipi. Hanc ipsam esse judicium & magistratum mentem , qui plurimos Fidei catholice nomine accusatos , jamque solitis ac diris mactandos modis , repente liberos & incolumes abire paterentur , simul atque populi templis ac sacris se interfuturos promitterent . Jam , quod aliqui decantatum Naamani exemplum proferebant * , disparem illius & catholicorum esse causam demonstrabat : cum Naamanus hero suo tantum adesset honoris & obsequii causa ; neque ullam rei sacre aut carimonie partem , qua falso numini cultus adhiberi existimaretur , attingeret . Ad extremum subjunxit gravissimam concilii Tridentini & Summorum Pontificum auctoritatem . Cum enim dudum senatus Anglicanus multam nummum circiter octogenum in singulos menses fisco persolvendam imposuisset catholicis recusantibus hæreticorum adire templa , eaque lex pauperes æque ac divites premeret ; istis agrè tributum atrox pensitantibus ; illis verò coactis in carcere jactura libertatis luere , quod ære solvere non poterant : visum fuerat orthodoxis sententiam concilii Tridentini , quod tunc habebatur , exquirere . Quippe in Anglia catholici sacerdotes responsa nec eadem omnes , nec plerique satis explicata dabant ; vel metu , vel rei gravitate ac rationum diversis ponderibus impulsæ . E Tridentinis Patribus delecti decem , qui causam expenderent , Archiepiscopi duo , Episcopi totidem , theologi sex . Illi quæstionem è sacris codicibus , & veteris Ecclesie memoria , traditionis vestigiis , momenti argumentorum , diligentissimè scrutati * ; responderant uno consensu , nefas esse Anglis catholicis Protestantium templis sacrisque interesse . Hæc Pio IV. Pontifice Maximo gesta . In eandem postea sententiam locutus est Pius V. ac postremo Paulus V. cujus hæc ipsa sunt in diplomate ad catholicos Anglos dato verba : *Zelo pastoralis officii nostri impulsæ , & pro paterna sollicitudine , qua de salute animarum vestrarum assidue laboramus , cogimur monere vos atque obtestari , ut nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis , aut eorum conciones audiatís , vel cum ipsis in ritibus communicetis ; ne in Dei iram incurratis . Non enim vobis licet hæc facere , sine detrimento divini cultus & vestre salutis .*

Id cum Societatis Patres , ac Personius in primis , palam constanterque prædicarent , ut multos nutantes confirmarunt , sic nonnullorum effugere offensionem & invidiam nequiverunt . Vulgatum Personii volumen hostes religionis irritavit : nihil artis dolive prætermisum ut ne posset elabi . Constituta indicantibus aut prodeuntibus præmia multo maxima : ejus amici , hospites , socii comprehensi tortique : partim affecti nece . Tor periculis insidiisque circumventus non cessisset tamen , nisi cum preces catholicorum , atque adeo querelæ permovissent , lamentantium sibi omnibus propter ipsum unum , tanquam ejus amicis & receptatoribus , ubique perniciem inferri . Subdixit igitur se se , rediturus ut sperabat , sedata tempestate . Prælum typographicum Rotomagi collocavit , ut alloqui populares eminus , & erudire posset ; expertus quantum in ejusmodi mutis doctoribus esset , ad retinendam Fidem pietatemque , præsidii . Statimque produxit ex hoc armamentario *Directorium Christianum* à se conscriptum : mox *Testamentum Novum* , Anglicè ab Alano Cardinali redditum : & alia subinde arma , quibus & se tue rentur catholici , & adversarios lacefferent . Præterea novum in eadem Normannia Seminarium fundavit Augi , Guisiorum Principum liberalitate : Remensis , in Campania , proventus auxit . Sed istis Seminariis bello civili Gallico prostratis , aliud quo hanc jacturam compensaret , in Belgio erexit Audomaropoli . Alumnos vero Seminarium Remensis Duacum reversos aluit regis Catholici beneficiis & munificentia . Neque his contentus , eundem Regem , cui propter pietatem & prudentiam erat acceptissimus , nec non Hispaniæ primores impulit , ut similia laboranti Angliæ subsidia in Catholico regno pararent Hispali , & Vallisoleti . Ibi juvenum florens examen erudiebatur , unde supplementum Anglicanæ Ecclesie militibus scriberetur . Juvabat cernere adolescentes optimæ indolis , jacentis ac prope succisæ in patriâ Fidei felices furculos , qui Personii hortatu , monitis , exemplis fovebant spem ac vota martyrii ; quique non aliter , cum prodirent in publicum , appellabantur , quam martyrii candidati . Certum singulis annis diem elegerant ,

* IV. Reg. 5.

* Anno 1562.

85.

Anglia excedere cogitur : patriam absens juvat .

quo ante aras, populo spectante, provoluti, votum repetendæ post susceptum sacerdotium, patriæ, renovabant; ac sanguinis pro religione, si Superi annuerent, libentissimè profundendi. Nihil non tentavit Elisabetha, ut hæc præclara Personii consilia, illas pietatis arces, everteret. Neque aliud expectandum ab ea fuit. Illud mireris ac merito doleas, inventos fuisse catholicos, qui tantam Personii apud Christianos Principes gratiam agre ferentes, illi consilere invidiam apud Summos Pontifices Gregorium XIII. Sixtum V. Clementem VIII. apud Reges, Catholicum & Christianissimum, non semel conati sint, atque adeo postulare ut Societatis hominibus omnis in Angliam aditus prohiberetur. Sane vix quemquam ea tempestate reperire est, cujus nomen, existimatio, scripta, pluribus appetita telis fuerint. Sed hæc virtutis veræ merces & gloria; qua invitatus Christi miles potius, quàm deteritus, majora quædam agitare animo coeperat, de Scotia nimirum in Fidei Romanæ libertatem asserenda*. Igitur cum Jacobo Rege per certos agere instituit, eoque rem felici prudentia promoverat, ut libera Patribus Societatis in Scotiam subeundi facultas, & oppressis Calvinistarum jugo catholicis quies concederetur. At Rex ab hostibus Ecclesiæ interim occupatus, illis rerum summam, seque totum ipse permisit; mox ad Angliæ solium evectus, tam pulcræ affixit spem, & immedicabili plaga religionem vulneravit. Hinc illa tot legum & edictorum acerbitas, illud perfidum fidelitatis Juramentum, quod peculiari scripto Personius refutandum sumpsit; nec deinceps cessavit emittere varios pietatis & ingenii partus, quibus hoc est affectus multorum judicio, ut, si nihil aliud in publicam Angliæ utilitatem perfecisset, plus tamen laborasse, quàm quisquam alius Anglicanæ vineæ cultor, non injuria censeretur.

86.

Piè moritur.
Alani Cardinalis
de illo vox.

* *Supra.* n. 16.* *Infra.* n. 128.* *Jacobum Blaisium.** *Idem vide in Bibliotheca scriptorum Societatis.** *Ad Galat. 6.*

Maximos sæpe viros obscuravit honor, quos calamitas illustrabat. Idem in utraque sorte Personius existit. Vicerat invidiam ejus virtus, & Romana donandam purpura consentiens fama jaçtabat. Vidimus quanta contentione, quibus lacrymis, honoris gradum eminentem deprecatus sit*. Igitur periculo vitato latus, Romæ confedit in Anglorum Seminario, cujus ad regimen ab Aquaviva fuerat evocatus*. Inde in Ecclesiæ Anglicanæ commoda, tanquam ex Orbis terrarum arce, vigiles curas extendens, veram hanc Alani Cardinalis vocem probavit: *P. Roberti Personii industria, prudentia, zelus, in scribendo & agendo dexteritas, omnem superat fidem.* Non destitit extremo spiritu eandem pro carissima patriæ curam gerere. Gravi morbo correptus dictavit litteras ad Episcopum Audomarensem*, Anglici in ea urbe Seminarii patronum ac parentem: alteras ad Archiepresbyterum Angliæ Birketum, ejusque clerum: tertias ad Socios per Angliam sparsos, quibus post novissima quæ tenerrimam pietatem spirant verba, unico commendat germanum, ut ait, Christi discipulorum caractèrem, mutuam nempe caritatem, cujus ea præcipue vis est, ut unusquisque infimum sibi locum deponat; primas aliis ultro deferat. Exaravit etiam in peculiari scheda quæcumque ad Societatem in Angliam tutandam idonea munimenta diuturno usu didicerat, eaque Præposito Generali descripta tradidit. Supremum instare tempus sentiens protulit sâdulas, quibus ejus sodalis carissimus Edmundus Campianus in equuleo tortus fuerat, casque peramanter deosculatus, collo implicuit, beatam Campiani sortem negatam sibi vehementer dolens; idem tamen Superis gratias egit, quòd suos annorum triginta in juvandis pro virili duobus Angliæ & Scotiæ regnis labores dedignati non essent. Corpus in templo Anglicani Romæ Seminarii sepultum est, addito elogio*. Annos expleverat quatuor & sexaginta; quorum triginta sex in Societate vixerat. A concitato & turbulento rerum gerendarum modo plurimum abhorrebat: quàm suavis ac pæne tardus in deliberando, tam strenuus & impiger in exequendo. Sermo illi efficax, & ad persuadendum appositus, quippe qui rationibus optimis niteretur; & vias rei, quam persuadere vellet, conficiendæ planissimas aperiret. Nihil habebat antiquius, quàm ut mortales omnes qualicumque posset beneficio devinceret; crebro vocem Apostolicam usurpans, *Dum tempus habemus operemur bonum: tempore enim suo metemus non deficientes**.

DUM

Dum vincula mortalitatis exuebat Personius, & hostium Religionis vota explebat, qui se gravissimo liberatos adversario latabantur; ab iis captus, & in Portam Westmonasteriensem conjectus est P. Joannes Blacfannus, Statim de illo necando deliberatum. Oblatam gaudebant victimam, quam in locum P. Personii sibi erepti substituerent. Quasitum est crimen: nam quod sacerdos, quod religiosus, quod Jesuita foret, quamvis ea capitalia illorum judicio essent scelera, minus tamen videbantur invidiosa, jamque gloriosa censebantur. Ergo falsos testes apponunt, qui denuncient auditum Antuerpiæ Blacfannum pollicentem aurifici millia nummorum octo, si Regem è medio tollendum curaret. Appellabatur nomen aurificis, locus, tempus, adjuncta cetera disertè notabantur. Blacfannus horribili calumnia perculsus, scribit subito ad amicum Belgam; qui Antuerpiam properans, aurificem coram magistratu interrogat: ejusque testimonium publico civitatis ac judicum sigillo munitum ad Blacfannum mittit. Revisita evidenti argumento perfidia erubuit. Sexcenta sunt ejus generis in nostros homines conficta, & conjecta: quæ si excutere singillatim velimus ac refellere, non historiam scribere, sed apologiam videbimur; & omnium ejusmodi criminum brevis est ac vera defensio, inficiatio facti. Nonnulla tamen, ut res tulit, exempla identidem subjecimus, è quibus appareat, ut ista, sic alia pariter eodem filo & artificio ab iisdem fuisse contexta. Infontem Blacfannum, detectâ calumniâ, neci dedere non sunt ausi: diuturno carcere maceratum exilio multaverunt. Reverfus postea in patriam totum se illi excolendæ devovit, quoad vita suppeditavit, quam ad octogesimum prope annum perduxit. Bonis artibus in academia Cantabrigiensi eruditus, earum lauream & magistri nomen erat consecutus. Augustino legendo & catholicorum libris, tenebras hæreseos dispicere cœperat, qui primus ad lucem veritatis aspiciendam gradus est. Obdormiscebat nihilominus liberioris vitæ oblectamentis, & *fascinatione nugacitatis**, ut Sapiens loquitur, incantatus; donec somnio perterritus, & è veterno exitiali suscitatus est. Oblata illi secundum quietem fuit species Christi judicis formidolosa. Objurgatus ab eo graviter quod exequi cunctaretur quæ faciendâ cognoverat, lacerari sævis torminibus sensit viscera. Expergefactus irrogatam sibi merito pœnam agnovit, ac voluntario multorum dierum jejunio, repetitis precibus, in primis autem ejurata statim hæresi, placare judicem studuit. Admissus inde in Societatem, post aliquot annos in Romano Seminario transactos, in Angliam se retulit, ubi comitem carceris & exiliû nactus est P. Joannem Perceyem, Fischerum vulgo, ut facilius lateret, appellatum; cujus pariter ad Fidem catholicam & Societatem accessus memorabile quiddam habet.

Hæresim cum lacte nutricis Eboraci, seu Dunelmæ, ut alii scribunt, suxerat. Accidit singulari Numinis beneficio ut annos quatuordecim natus deduceretur in contubernium, cui præerat matrona catholica. Ejus ope atque hortatu libros catholicorum legit, & a frequentandis hæreticorum templis deterritus est. Eandem aliquando pie precantem contemplatus socium se precationis obtulit. Sed repulsus non sine probro, tanquam ab Ecclesiæ ac fidelium communione segregatus, in genna seorsum procidit, obtestans Deum ut religionem veram ostendere sibi dignaretur. Nec piis precibus Deus absuit. Sensit impelli se ut sacerdotem catholicum adiret: qui à matrona eadem arcessitus paratum quidem puerum ad abjiciendam hæresim deprehendit, nihilominus adhuc id ætatis, ut moræ nonnihil interponendum judicaret. Atenim, inquit puer, si dum vota mea differs, ego interea moriar, quid animâ meâ fiet? Responsi candorem & veritatem sacerdos admiratus confestim expiatum Ecclesiæ restituit. Erat Perceyo hæreticus frater, qui fratrem à proposito retinendæ religionis dimovere frustra conatus, illum in Galliam abducendum curavit, de propinquorum sententia, metuentium ne quid periculi toti familiæ crearetur. Rotomagum primo, inde Remos veniens dicendi artem, & elementa philosophiæ in Seminario percepit. Romam postea profectus, gravioribus sanctioribusque studiis operam in Anglorum collegio dedit, in iisque tantum brevi profecit, ut sacerdotio initiatus, & canonica solutus ætatis lege fuerit, quod præcipuis quibusdam Seminarii alumnis Clemens Pontifex non invitatus concedebat. Hic animum ad Societatem adjunxit; ac Tornaci tiro-

S. VI.

SOCIORUM ALI-
QUOT ÆRUMNÆ,
DIMICATIONES,
VICTORIÆ.

87.

Imposita P.
Joanni Blacfan-
no calumnia.

* Sap. 4.

88.

P. Joannes Percey-
ad Fidem
catholicam &
Societatem vo-
catus.

* Anno 1594.

tirocinium posuit *. Non raro contingit ut impetus pietatis in tironibus vehementior sit, & modum vix teneat; præsertim si accedat gustus rerum divinarum suavior, in quem se improvida mens velut ingurgitet. Obtudit Perceyus caput, nimia contentione; adeoque cerebrum labefactavit, ut illud sanitati restituendum medici diffident; nec aliud remedium occurreret, nisi patrium ac natale coelum. Igitur in Angliam reverfurus Flessingam contendit. Vultus, vox; pietas fecerunt suspicionem Anglis militibus: inspiciunt hominem, scrutantur, & sacerdotem Anglum è repertis epistolis deprehendunt. Obstinate silentem & cruciatus omnes ultro deposcentem vinciunt, retortis post tergum manibus; tum nautico fune frontem ac tempora colligant arctissime. Mirum! capitis diuturnus dolor, qui nullis curari potuerat remediis, isto fune velut abactus, subito diffugit: sive fibras cerebri per immodicam meditandi contentionem contractas laxaverit vehemens ista jactatio; sive calor externus intestinum exciverit, atque effuderit, qui velut inclusus antea cerebrum urebat. Ut ut est, Perceyus tanto per illos tortores affectus beneficio, quantum ab amicis capere nullum poterat, cum nihil præter voces quasdam pias & gratiarum actionem referret, Londinum abductus conjicitur in carcerem. Sex totis mensibus graves pertulit ærumnas, quibus non modo retardatus non est, sed etiam accensus ad dicendum religiosæ vitæ sacramentum: quod ne faceret, prohibuerat antea insidens capiti dolor, per quem ipsi non licebat animum ad rem ullam serio cogitandam appellere. Jam, onere isto liberatus, receptam cogitandi facultatem ad meditandum effugium contulit: & nocte intempesta per custodia fastigium, cum duobus sacerdotibus ac septem laicis delapsus, evolavit ad Garnetum: apud quem posito viritutum & laborum Apostolicorum tirocinio, certamen adversus hæresim feliciter auspiciatus est, creptis illi matre, fororibus, & propinquis.

89.

Idem semel, iterum, tertio, quarto, captus.

* 1. Joan. 2.

* Ad Philem.

Datus aliquanto post P. Joanni Gerardo socius insignem operam per annos complures navavit catholicis in provincia Northantoniensi. Erupit interim à pulvere dicta conjuratio; quæ cum exploratorum ubique solertiam acuisset, Perceyus cum P. Nicolao Harto captus est, ac Londinum abductus. Multa utrique incessit cum doctoribus indoctis disputatio. Ab eorum uno quaesivit Hartus an Deum nosset. Omnino, inquit ille. Pergit Hartus: Servasne Dei mandata, aut ea servari a te posse putas? Negavit. Mentiris igitur, si qua est Apostolo Joanni fides, cum Deum te nosse prædicas. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est* *. Conturbatus hoc argumento doctor, & adstantium risu salibusque perfusus, abscessit. Londinum perductos carcer duodecim fere mensibus coercuit: non ita severis tamen adstrictos vinculis, quin exciperent adeuntes, & multos in libertatem filiorum Dei vindicarent. Ea demum fregit Catholici regis orator. Huic ambo donati Belgium reviserunt. Perceyus otii ac libertatis impatiens, & præclarum illud, quo Paulus gloriabatur nomen, cum se *Vinctum Christi Jesu* * nuncupabat, libertati vel innocentissimæ anteponeus, remigravit in Angliam. Rursum comprehensus, in carcerem ad ripam Tamesis rapitur. Hic tantam rei bene gerendæ facultatem est nactus, ut quamvis evadendi potestas esset, ultro nihilominus per triennium in vinculis resisterit; ibique centum quinquaginta populares suos Ecclesiæ catholicæ redonaverit: præter innumerabilem catholicorum turbam solitis præfidiis confirmatam. Hæc vero ingenua dexteritate, prudentique silentio sic administrabat, ut nemini valde suspectus, imo probis juxta improbilique carus esset. Latere tamen omnino non potuit. Venerat Londinum doctor è schola recens, Calvinistarum alpha. Quærenti hostem quicum confereret avidas pugne manus & victoriæ, audit de Perceyo. Placuit adversarius: accenduntur hæreticorum pariterque catholicorum studia; res deferuntur ad Regem. Ille vero non modo se arbitrum certaminis libens offert, verum etiam socium; ac pugne pars prima & maxima dubio procul fuit. Descendunt in arenam, hinc Perceyus pulcro multorum carcerum pulvere sordidus; inde Calvinista politulus & calamistratus: adstat selecta nobilitas, pugne testis, deque exitu anxia.

In amplissimo consessu aderat Comitissa Buckinghamia, Ducis mater: quam fugitantem Calvinistam, labantem, ac foede interdum rurentem aspiciens, quamvis cum

eum Rex acriter dimicans sustineret; male sultam detestata doctrinam est, & ad pares catholici doctoris magna omnium admiratione transit. Fusus fugatusque Calvinii signifer, dimicationis fortunam iterum tentavit, sive potius ipse Rex: qui se doctore suo longè doctiorem arbitratus, per horas ipsas quatuor cum Perceyo digladiatus est, summa contentione; omnia tamen perstringens ac delibans, nihil urgens ad plenum & exhausti. Veniam petiit Perceyus, si ardore disputandi longius esset provectus, quàm Majestatis reverentia sinebat. Imò, inquit Rex, placuisti; & rem bene ac fortiter gessisti. Postridie Perceyo chartam mittit, hoc notatam titulo: *Puncta quadam præcipua, qua meam unionem cum Romana Ecclesia impediunt, donec ipsa se reformet, aut possit mihi satisfacere*. Eadem novem erant: his ferme concepta verbis. Cultus imaginum. Preces & oblationes factæ Beatæ Virginis Mariæ. Cultus & invocatio Sanctorum & Angelorum. Liturgia & preces privatæ illiteratorum Latino sermone scriptæ. Repetitiones orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ, & Symboli; præsertim si in earum numero ratio aliqua meriti statuatur. Transsubstantiatio. Communio sub una specie, & doctrina concomitantia. Opera supererogationis. Potestas papæ ad reges deponendos directè vel indirectè, & ad disponendum de eorum regnis. Suscepit ea tractanda & explicanda Perceyus. Eruditam scriptiunculam exacto mense abfolvit. Oblata est Regi; & ab ejus quodam theologo, sed leviter, oppugnata. Eadem paulo post, addito Joannis Floydii commentario, prodiit. Hæc sacerdotis catholici victoria non pudorem duntaxat incussit victis, sed etiam metum. Duplicata igitur victori vincula, geminata seræ, aditus ad illum omnes obstruæ. Ecce autem (ut cetera quæ Perceyus spectant referamus) nova recuperandæ præter expectationem libertatis occasio. Gallus orator amplissimam pro sacerdotibus viginti, ac Perceyo nominatim, veniam ab Rege impetrat. Liberatus custodia & regiis munitus litteris, illustrem veritatis & religionis quasi triumphum circumferre videbatur. Non tulere hanc speciem. Rapitur in jus, causam dicere jubetur. Profert litteras; tuetur se beneficio Regis. Affirmat senatus veniam tantum præteritorum datam: contendit Perceyus concessam sibi liberam agendi vivendique arbitratu suo potestatem: citat ipsa regii diplomatis verba, *Ut eximeretur vinculis; ut ne quis ullam ipsi molestiam faceretur; ut plena demum & integra pace fruereetur*. Laudabat etiam axioma juris; ac si quid oriretur dubitationis, in mihiorem eundem esse partem asserbat. Parum hæc valuerunt apud iratos & infensos. Supervenit Cantuariensis antistes, denunciavitque Regem velle ac jubere ut exularet, fidemque daret se nunquam reversurum. Reclamavit incassum Perceyus, contestatus sui se juris non esse, nec posse sacramentum hoc dicere: imò rediturum, si juberent ii quorum in potestate esset. Ergo in carcerem reducit. Ibi octo mensibus ea pertulit, quibus pertinaciam, ut aiebant, frangendam arbitrabantur. Iis quoque malis Regina finem imposuit, Perceyus à senatu deprecata. Donatus libertate cavit ne se in discrimen temere conjiceret: incolumisque diu superfuit: donec, ereptis ab errorum servitute quamplurimis, & propugnata scriptis eruditæ Fide, ad sempiternam, uti confidimus, plenamque cœlestis patriæ libertatem septuagenario major excessit*.

Incidit in hoc idem tempus geminus carcer simillimumque periculum Patris Thomæ Laythwayti: quem vulgo Scottum appellabant. Proditione Atkinsoni sacerdotis Fidei desertoris captus, & in Portam Novam conjectus fuerat. Deprecante Sabaudia Ducis oratore, vincula deposuit, ea lege ut insula demigraret. Rejectus casu, an tempestate? in littus Anglicum, ejusdem Atkinsoni proditoris indicio iterum comprehenditur, & Westmonasteriensis custodia includitur. Ibi cum custos barbarus saviret in victos, ineunt consilium de fuga. Res successit*. Evolvit cum ceteris noster, & in amicam catholici nobilis domum se recepit; ubi ejus liberos in pietate ac litteris occultus per annos complures instituit: excurrrens nihilominus quò salus animarum vocabat. Non pigebit, opinor, egregii viri prima quasi vestigia relegere. Domestica disciplina liberaliter educatus contulerat se Hispalim, philosophiæ perdiscendæ ac theologiæ causa. Inde in patriam regressus* incidit in Warwicum Helem, acerrimum hereticum,

90.
Cum doctore Calvinista dimicat, Rege ipso spectante ac pugnante.

* Die 3. Decemb. 1641.

91.
P. Thomæ Laythwayti, sive Scotti, carceres varii, & pericula.

* Anno 1614.

* An. 1604.

cum, & irenarcham. Ab eo rogatus ut Regem Anglicanæ principem & caput Ecclesiæ agnosceret; negavit enimvero, seque catholicum professus est. Offensus irenarcha responsi libertate, in hæreticorum templum ire jubet: reculantem ergastulo damnat. Custos carceris venientem sannis & conviciis accipit, utque toti custodiæ det ludos, imponit arboris trunco, qui forte tunc in atrio jacebat. Hic ut constitit, in oculis procacis turbæ, sustulit vocem; & manu significans, Plerosque hunc in locum, inquit, sua flagitia perduxerunt: me flagitii fuga, vel potius gloriosi facinoris confessio. Meum icelus est catholica religio, quam certum est mihi, dum vivam, retinere. Hac oratione conversis à risu & ludibrio ad maledicta omnibus, contruditur in infimum ergastuli antrum, facinorose plenum fecis: ubi à vermium turpi grege depastus, & olida mephiti sic immutatus est, vix ut agnosceretur. Os, manus, pedes foede intumuerant; & animam ægrè ducebat in aere tam pestilenti: cum venit ad eum junior ipsius frater, adolescens hæresi perditè addictus. Qui ut fratrem vidit tot miseris oppressum, risit; & Factum bene, ait, quod meritas insanæ poenas luis. Ferocem juvenis animum paulatim fregit Scottus, nec fregit tantum, sed etiam imbuat docilitate Christiana, eruditique ut insanientis sectæ cerneret præstigias & horreret. Mox Ducum dimisit ad studia litterarum; ubi postea Societatem amplexus reduxerunt in Angliam, fraterna exempla imitatus est. Neque is duntaxat, sed alii tres ejusdem fratres, in Societatem postea similiter admissi, & Kensingtoni vulgo nominati. Sic vincens Scottus vincebat, ac triumphis proludebat majoribus. Ampliorem enim rei bene gerendæ facultatem illi obtulit suffectus priori carceris custodi alter humanior. Accidit ut capitis sententia in hæreticum è vincētis unum ferretur. Hanc reus tam graviter tulit, ut ipsa mortis imminentis cogitatione exanimaretur; ac flebili ululatu horrendisque clamoribus locum omnem completeret. Querebat aliquem carceris custos, qui solaretur miserum, qui morituro adesset. Ad futurum se Scottus promisit: ac paucis horis hominem retraxit ab hæresi, expiavit, tantaque perfudit lætitia, ut exiliret præ gaudio, & Fidem catholicam è patibulo profiteretur. Scottus opimis tot spoliis onustus, è vinculis ope fratrum expedit se se, adscriptusque Societati concessit in Belgium, unde repetens Angliam, iterum captus est, ac deprecante, ut modo narravimus, Ducis Sabaudie oratore, in libertatem est vindicatus. Ea frui dju non licuit. Rursus captus, ut eodem loco dictum, tenebatur in carcere Westmonasteriensi cum P. Alexandro Fayrcliffo. Utrumque Cantuariensis antistes evocavit certam ob causam, quæ multorum tunc sermonibus jactata quomodo se habuerit referre non erit alienum.

A. C. 1614.
Soc. 75.

Sub ipsa regni Elisabethæ primordia sic Fidem Catholicam abjecerunt Angli, ut ejus quædam vestigia, & externa quasi lineamenta retinerent, ac præcipuè Episcoporum nomina, certasque functiones. Ita populo illudebant, cui relinquebatur adhuc religionis cadaver anima destitutum, nempe *Fide, qua per caritatem operatur* *. Porro nihil venditabant ambitiosius, quam antistitem suorum auctoritatem, ab Apostolis continua successione derivatam: quod planè videbant esse necessarium, ut sacerdotalis jurisdictio constaret. Hoc pernegabant catholici doctores, contendebantque Parkerum, primum ipsorum pseudopresulem Cantuariensem, nequaquam per catholicos presules fuisse initiatum. Imo fama erat ab idoneis ducta auctoribus, tres quatuorve Calviniani dogmatis ministros inter vna se invicem Episcopos consecrassent: ab iis postea Parkerum Cantuariensi Sedi præpositum. Contra pugnabant Angli existere gravissima monumenta, quibus probaretur Parkerum a quatuor Episcopis catholicis consecratum. Postulabant catholici ut hæc præclara monumenta proferrentur in lucem, ut tribus saltem aut quatuor testibus locupletibus ostenderentur. Patère omnibus tabularia Vaticana, unde Fidei Apostolicæ argumenta certissima peterentur. Angli diu multumque tergiversati, ne causæ suæ dissidere viderentur, responderunt nihil in se futurum moræ; quin istorum copiam monumentorum facerent, etiam Societatis Jesu theologis; quibus in hoc negotio maximè credi par foret. Igitur pridie Idus Majas anni MDCXIV. Cantuariensis Patres Fayrcliffum & Laythwaytum arcessit è carcere, cum aliis duobus sacerdotibus: exponit cur ipsos acciverit.

* Ad Galat. 5.

92.
De Anglicano-
rum Episcoporum
Apostolica
successione falso
jactata.

rit. Ambigitur, inquit, num Parkerus ab episcopis catholicis rite consecratus fuerit: rem per se manifestam revocavit in dubium edito libro Romanus scriptor, & ostendi monumenta quibus hoc probetur, petiit. Delegi vos, quibus facti hujus memoriam commentariis certissimis proditam ostenderem. Nemo, ut opinor, vobis id affirmantibus quod visuri modo estis, non credet. Continuo promittit volumen immane; illudque ut inspiciant, & excutiant accuratè, ne qua doli suspicio lateat, jubet. Deinde signatum de Parkeri consecratione locum P. Fayrcliffus clara voce recitavit. Ibi legitimè consecratus à quatuor Episcopis catholicis narrabatur. Tum gestiens Cantuariensis rogavit ecquid ipsis videretur. Cui Fayrcliffus, Merito, inquit, de his commentariis dubitatum fuit, extarent necne, quorum nemo hæcenus mentionem fecit. Poterant doctores Angli Hardingo, Stapletono, & reliquis à catholica schola theologis, opponere istud volumen; & litem molestem hoc uno testimonio, si verum est, secare. Rogavit subinde Cantuariensis Keakum & Colletonum, sacerdotes duos non religiosos, qui cum Patribus, uti diximus, aderant, quid sentirent. Illi cunctanter & ambigè responderunt. At P. Laythvaytus negavit se quidquam pronunciare certo posse: optimum videri ut narratio integra describeretur, & per otium examinaretur. Exscribendam promisit Cantuariensis. Gratias egere Patres, & in suum remissi sunt ergastulum. Diebus paucis interjectis petierunt ut narrationem describendam, quemadmodum promiserat, curaret. Distulit semper in commodiorem, uti predicabat, occasionem: ac rursus illis haud semel idem flagrantibus verba dedit. Nec aliud profecto dare poterat. Quippe constat ex illius ævi scriptoribus * Episcopos omnes catholicos, qui temporibus Elisabethæ in Anglia versabantur, stabiles in Fide Romana permanisse; neque ut schismaticis Episcopis manus imponerent, unquam adduci potuisse. Unus duntaxat operam ad id suam promiserat, verum ab aliis deterritus mutavit mentem, & facturum se negavit. Addit Sanders * mercenarios ejusmodi pastores, cum neminem à quo consecrarentur potuissent invenire, ac munia tamen Episcoporum obire non dubitassent, licet omni legitima ordinatione destituti, confugisse ad Parlamentum ut veniam delicti peterent, & in pristina dignitate, quantumvis contra jus fasque usurpata, confirmarentur. Parkerum haud aliter atque istos creatum fuisse antistitem Bristous docet *. Ceteri deinceps ad eundem modum instituti cum urgerentur identidem à doctoribus catholicis ut se jure atque ordine consecratos probarent, id unum responsi dabant, nequaquam sibi opus esse nostris caerimoniis & unctionibus, ut Episcoporum nomen atque auctoritatem obtinerent. Ac sane legitimum & necessarium ad creandos Episcopos vel sacerdotes ritum minime servare perhibentur: quo etiam nomine consecratio, licet à catholicis præsulibus adhibita, esset irrita. Denique Anglis omnibus adeo persuasum est ipsos nihil nisi umbram sacerdotii, & inane ac vacuum habere nomen, ut eorum sacerdotes, cum deponunt hæresim, & ad catholicorum partes transeunt, omnino & citra ullam conditionem sacris ordinibus ita se initiari jubeant, ut si nunquam fuissent consecrati.

Doluit vehementer Cantuariensis ultimam hanc stropham, torque susceptas identidem de religione disputationes, tam parum suis respondere votis. Retulit se ad notas crudelitatis artes, quibus inesse majorem ad probandum vim intelligebat. Ejus & Regis præcipuus administer Eduardus Cookius; caudidicus olim in Londinensi foro, deinde minorum subselliorum judex, denique summam juris dicundi præfecturam & auctoritatem adeptus: quo accusante plerique homines Societatis gloriosum veritati testimonium non oris modo, sed etiam sanguinis voce reddiderunt. Elisabethæ, primum ac postea Jacobo Regi, propter veteratoriam legum ac juris Anglici exercitationem, odiumque Fidei Romanæ carus, tantos ab utriusque gratia spiritus, tantum audaciæ sumperat, ut in foro regnaret. Ne tamen privata malignitate ductus, inique cum catholicis agere videretur, leges omnes contra ipsos latas indagavit, renovavit obsoletas, recentes confirmavit, amplificavitque. Illo suadente, atque instante sancitum, ut qui cum sacerdote in Angliam adducto commercii quidpiam habuisset deprehenderetur, is fortunis omnibus spoliatus, perduellionis pœna plecteretur. Ut qui matrimonium

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

Bb

in

* Sanders, Stapletono, Bristoo, &c.

* Lib. III.

* Lib. II. Mor. cap. 24.

93.
Eduardus Cookius. Legum in catholicos latarum acerbitas.

in hæreticorum delubro non contraherent, præter quadringentorum aureorum multam, nefarii concubinatus infamia notarentur. Qui recentes partus domi familiaribus baptismi lymphis abluerent, eandem pecuniæ summam pensitarent. Qui catholicum domi suæ retinerent, licet confanguineum aut famulum, quadringentis in singulos menses aureis officium impensum confanguineo, & acceptum à famulo obsequium luerent. Ut vero non deessent delatores, despiciatissimum quemque Cookius invitaverat, oblata parte multarum tertia. Illæ infelices locusta in omnem evolabant partem, comminuebant omnia & devorabant. Cum autem intellexisset Regi unice in votis esse ut ab omnibus Juramentum, quod appellabant Fidelitatis, ederetur; vix credi potest quot machinas adhibuerit, ut impio sacramento catholicos adigeret. Tertio quoque mense illos Londinum properare tota ex insula compellebat, nullo sexus, ætatis, conditionisve discrimine: per hiberna frigora, per latronum insidias, & aperta valetudinis fortunarumque pericula; ut in urbe regia nomen suum profiterentur: spoliandi, si secus facerent, bonis & libertate. Multis, quos animus ad ferendam acerbiteriam tantam defecerat, in infanda verba jurantibus apponebantur custodes & fideiussores; ut omnis ad pietatem ac Fidem regressus clauderetur. In hac tam indigna temporum atrocitate, pro domo Dei depugnabant anno MDCXIV. homines Societatis octo & quinquaginta. Quatuor in vinculis tenebantur: P. Guillelmus Baldwinus, de quo facta jam non semel est mentio; P. Alexander Fayrcliffus, sub finem anni MDCXIII. per natalitias Christi ferias comprehensus: & P. Thomas Laythwaytus. Quartus P. Gervasius Polus per hunc modum in exploratores incidit. Ejus frater sacerdos deprehensus à lictoribus paucis, ducebatur Londinum, non onustus vinculis, non armatis septus; sed velut inter familiares adequitans. Talem credidit frater, & salutaturus accessit. Subeuntem satellites occupant, & inexpectata præda latissimi, dum illi vincula injiciunt, ejusdem frater sacerdos ex ipsorum manibus & oculis evolavit. Duplici voluptate affectus est Pater, & quod libertatem attulisset fratri, & quod nulli catholico perniciem aut periculum creavisset; ut iis accidebat, quorum in ædibus sacerdotes comprehendebantur.

94.
P. Michael
VWalpolus
gravi periculo
liberatur.

Ne iis quatuor adderetur quintus, Numinis beneficio & Hispani oratoris arte perfectum est. Destinatus fuerat à Præposito Generali Societatis P. Michael Walpolus in Angliam, ut Sociis ibi præset. Permanavit hæc ad Anglos fama. Iniquissime tulerunt Regis administri, hominem ab annis quatuor exilio damnatum, ac redire vetitum propositis, quæcumque possunt excogitari gravissimæ, penis & cruciatibus, rursus in Angliam aditum tentare. Omnem contendere diligentiam statuerunt, ne indeprehensus rediret. Nec minorem adhibebat Walpolus, ne deprehenderetur. Omnia indaganti occurrit una domus longe tutissima, in ipsius Londini sinu. Erat hæc Ludovicæ Caravajaliæ, Hispanæ virginis, quæ ut Missionem Anglicanam non solum opibus & lauto patrimonio juvaret (quod illam fecisse narravimus*) sed ipsa coram promoveret, in Angliam trajecerat. Ibi conductis in ædibus, sine sumptu ac splendore degebat. Illam nomen Hispanum legibus solvebat, quibus Angli catholici premebantur: tenuitas familiæ ab invidia & satellitum cupiditate vindicabat: nota virginis nobilitas, & apud Hispani Regis oratorem gratia, religionis vexatores ab ejusdem ædibus submovebat. Tutas his de causis apud eam latebras sacerdotes Societatis habebant. Suberat alia quoque Walpolo causa peculiaris cur illas præ ceteris optaret, quod Caravajaliæ conscientiam ac pietatem in Hispania moderatus olim erat. Id nescio quo pacto indicatum exploratoribus. Quamobrem nihil dubitare quin illius hospitio rediret. Observato igitur tempore quo è Flandria solverat; & adhibitis, qui ædes Caravajaliæ circumirent, speculatoribus; cum intus illum esse conjecissent, effringunt fores & irrumpunt. Ad clamorem evigilans Ludovica, primum epistolas quas habebat à Patribus Societatis comburit: mox Principis Alberti oratorem propere monendum curat. Adest ille, ac furentem turbam ædesque disturbantem, oratione blanda paulum demulcet: inde conspicatus P. Walpolum, quem probe norat, capite aperto, obsoleta veste, personam famuli bellè sustinentem, ad se ferociter vocat; ac nonnulla sermone Hispano, quem

95.
Ludovica Caravajalia de Anglica Millione bene merita.

quem callebat Walpolus, præcipit, tanquam mandata ad heram deferenda. Cum bis terque responsa mutua retulisset, creditus est Hispanus famulus ex oratoris comitatu. Postquam fabulam rectè compositam orator sensit; abeuntibus, sacerdote non reperto, licet illum præ oculis haberent, licetoribus, Patrem quasi unum è suis abducit secum. Evaferat, cum satellitum quispiam exclamat sacerdotem effugisse. Rogatus quæ sciret: Quia, inquit, animadverti nescio quem exivisse cum oratoris Belgici famulis, quem cum ipso non intrasse certò scio. Serum indicium erat. Visum tamen est ipsam Ludovicam pertentare, si quid forte ex illa cognosceretur. Adeunt oratorem trepidi; mandata Regis exponunt, orant ne molestè ferat Caravajiam abduci, cum tribus quas domi habebat, virginibus: habitum iri rationem ejus dignitatis, ac nihil gravius in eam decernendum. Avehitur in rheda, quam orator cum famulis submiserat, & ad Cantuariensem antistitem ducitur. Multis interrogationibus lacescita, jocos etiam illiberalibus agitata, in carcerem cum puella comite conjicitur; aliis duabus aliud in ergastulum abductis: quarum una morbo jam debilitata, & armatorum satellitum, cum ædes invaderent, exanimata metu, postredie obiit in carcere. Ipsa Caravajia, deprecantibus Hispaniæ, Belgii, & Galliæ oratoribus, vinculis eximitur. Sed ob incommoda in carcere tolerata cum ei deterius in dies fieret, è vinculis corporis excessit, Ecclesiæ præsidii omnibus eo tempore necessariis instructa per sacerdotem Societatis. Digna virgo quæ ad veteres Paulas, Marcellasque adscribatur. Novem annos Londini versata, ut catholicorum arumnis propius mederetur, vinctis ministrabat, firmabat nutantes, abjectos in gradum reponebat; catholicos juvenes transmittabat in Seminaria, virgines in cœnobîa. Tantis in casto pectore amor Christi religionisque flagrabat!

Quanam inter istos Angliæ tribulos collecta fuerit ab evangelicis messoribus seges, & in Patris-familias horreum illata, parcius proditum litteris est, non tam scriptorum negligentia, quàm prudenti metu: cum virtus cognita sceleris nomen ac pœnam ferret. Paucos, quibus impune nominari tunc licuit, memoratos invenio: in primis doctorem Caritrum, Jacobo Regi à concionibus, & eloquentiæ fama clarum. Nostrorum hortatu, desertis hæreticorum castris, militiam meliorem secutus, in Belgium per causam curandæ Spadanis aquis ægræ valetudinis; inde Parisios, ubi supremum diem clausit anno MDCXIV. concesserat. Peragravit Angliam nobilis exempli fama: quippe non hæresi tantum, sed maximis honoribus opibusque nuncium remisit. Facti sui rationem per litteras Regi reddidit: à quo in Angliam, amplissimo Episcopi gradu promisso, sed frustra, est invitatus. Haud minorem Christo gloriam, & fructum catholicis attulit Roven-treus, concionator alter dicendi egregia facultate præditus. Olim à Calvinianis desciverat: sed quia cum vera Fide non conjunxerat humilitatem Christianam, in idem barathrum fuerat revolutus. Ex eo per Societatis sacerdotem feliciter eductus, defectionis impiæ maculam insigni veritatis confessione delevit. Nam Eboracensi antistiti obtulit se, non sine lacrymis, paratissimum ad quoslibet cruciatus; & ad ejus pedes diplomata duo projecit: altero condonaverat ipsi Rex capitalem noxam, quam Ecclesiæ Romanæ partes amplectendo commeruisse dicebatur; altero potestatem amplissimam de rebus divinis ad populum dicendi ab Eboracensi antistite acceperat. Raptatur confestim in vincula, ubi disputantes Calvinii theologos male multavit. Quamvis autem nemini catholicarum partium aditus ad illum pateret, eò tamen penetravit è nostris unus; à quo *in bonam**, * *Ad Rom. c. XI. v. 24.* unde fuerat excisus, *olivam* rursus *insemitus est*. Exquisito mactandus supplicio credebatur: invidiam veriti iudices ac famam, illum Anglia clam ejecerunt.

Enituit etiam septuagenarii senis digna splendore natalium & majorum pietate virtus. Rogatus quid de Juramento Fidelitatis sentiret, respondit probari sibi nihil posse, quod Ecclesiæ improbaret, magistra veritatis. Cum in hanc sententiam loqui pergeret, Nihil verbis opus, ait judex: aut edendum conceptis verbis juramentum, aut libertas cum fortunis amittenda. Fortunarum sane partem mearum Rex habet, retulit senex, reliquas quin invadat nihil veto. Corpus etiam vinculis dedo lubens: animam hanc neque tu, neque Rex, habebitis; sed

96.

Aliqui fructus
Anglicæ Missio-
nis.

* *Ad Rom. c. XI.
v. 24.*

qui redemit illam, Christus. Ea locutum lictores in imum carcerem detrudere, plenum illustribus victimis, quæ longa morte mactabantur. Non licebat illis oblatas ab amicis inferre culcitas aut stercas: jacendum in humido & frigido solo inter sordes, quæ nunquam exportabantur. Si quid subministraretur cibi, avertibat inhumanus custos, ita jussus à Rege, catholicos consumptum iri sic facilius existimante, nulla sua invidia, nulla ipsorum gloria.

97.
Impiorum lu-
ctuosa mortes.

Hanc inter tot mala constantiam catholicorum & patientiam illustrarunt impiorum calamitates divinitus, ut apparet, inflicta; ac nonnullorum luctuosa mortes. Memorabilis existit gemini licitoris, à quo P. Henricus Garnetus comprehensus olim fuerat, exitus. Alter è statu vitæ satis commode redactus ad summam egestatem, Deum cœlitesque vocibus contumeliosis moriens laceffit, affirmans jure ac merito se addici cruciatibus sempiternis. Alter insanabili deformis ulcere, in omnium odio & summis doloribus contabuit. Vidua opulenta jacturam salutis & Fidei, ut opes conservaret, fecerat: quinetiam liberos in sui criminis communionem traxerat. Oppressa repentino, morbo cum, famulis duobus comitata, reverteretur domum, in limine animam exhalavit. Satelles catholicis omnibus ac præcipuè Societati nostræ infestissimus, cum incaluisse vino in cauponula, commisit rixam cum ganeonibus, & cantharo gravi percussus, cerebri partem ac vitam infelix amisit. Baro Sheffieldus humanæ gloriæ cupidior quàm divinæ, statim atque Christo exuto Calvinum induit, orbatum se liberis sex ætate, indole, robore florentibus, ingemuit. Unus insolito morbi genere perit: alter peregrè profectus occubuit: tertius ferocientis jumenti calcibus obrutus est: reliqui tres, dum in ingenti scapha fluvium transmittunt, orto inter efferatos equos tumultu, excussi cum universo comitatu in flumen ac demersi sunt. Bacloum, Lincolnensem pseudoeписcopum, in quem P. Robertus Personius ultimum suum de religione opus elaboravit, asperi mores & immitis natura non alienis modo, sed amicis, uxori, liberis invisum effecerant atque intolerabilem. Ludo fomnoque fatigatus cum in lectulum se projecisset, morte repentina oppressus est. Conjux nuncio lata, hoc viro elogium dixit: Si quis est in cælo Deus, si quis in inferis tortor, vicem tibi, de nobis tam præclare merito, referant.

Hæc divinæ severitatis in impios exempla quantum terroris iniecerunt improbis, tantum alacritatis atque constantiæ piis ac probis attulerunt ad superandas durissimi temporis difficultates, cum atrociter Juramentum Fidelitatis exigeretur, & nonnullorum concussa tot ærumnis virtus fatisceret. Id cernens Summus Pontifex Paulus V. occurrendum grassanti malo, pro sua in commissum gregem vigilantia, & comprimendam graviore aliquo scripto pestiferæ Ivis contagionem censuit. Perspecta illi erat Francisci Suaris eruditio, pietas, fama. Hunc per Cardinalem Carafam, suum in Hispania legatum, admonendum curavit ut scribendi provinciam susciperet. Satis ad incitandum Suarem erat ipsa per se causæ gravitas & justitia: quippe qui labores eruditos, & sua studia religioni tuandæ atque ornandæ addidisset. Novum illi calcar Pontificis nutus addidit. Paucis mensibus interpositis volumen ab eo prodiit, inscriptum *Defensio Fidei Catholica & Apostolica, adversus errores sectæ Anglicanæ: cum responsione ad Apologiam pro Juramento Fidelitatis, & ad Præfationem Monitoriam Serenissimi Jacobi Magnæ Britannia regis*. Opus Christianis dedicavit Principibus, ut iidem opportuno munirentur antidoto, quibus venenum fuerat propinatum. Partes operis sex. Docetur in prima, quam longe recedat Anglica hæresis à vera Fide; cujus tamen se patronum ac vindicem Rex Angliæ jactabat. Ostenditur in secunda, catholica religionis dogmatibus consensum vetustatis, & Sanctorum Patrum, suffragari. In tertia, demonstratur suprema Pontificis in spirituali regimine auctoritas, cui subiecti & obsequentes esse debeant Principes Christiani. In quarta, clericorum ab alio tribunali & foro, quàm ab Ecclesiastico, immunitas declaratur. De Antichristo disputat quinta, & quàm immerito ignominiosum id nomen Pontifici Romano tribuatur, probat. Sexta demum expendit Anglicani Juramenti formulam, & quid speciosa frons doli tegat, planum facit. Lucet in opere toto singularis candor, & nervorum plena modestia, sine felle, sine aculeo. Sen-

§. VII.
LIBER A PAT.
FRANC. SUARE
CONTRA ERRO-
RES ANGLICANÆ
SECTÆ CONSCRI-
PTUS.

Sentias auctorem agere cum amicis, quos sanatos; non cum hostibus, quos vulneratos, velit. Conimbricæ primùm liber exiit anno MDCXIII. postea Colonia & alibi passim, est excusus. Pontifex, datis V. Idus Septemb. litteris, tam bene merito de Ecclesia catholica scriptori gratulatus est.

Longe dissimilis animus Angliæ Regis fuit. Quam adversus molestum scriptorem iram conceperat, in librum effudit. Hunc in Londinensi foro, ante valvas basilicæ D. Pauli flammis absumi jussit. Hujus incendii fumus ubi primum Suarem afflavit, oculis in cœlum sublatis exclamasse fertur: Utinam vero eadem mihi, quæ libro meo, præclara fors eveniat, ac sanguine isto testari Fidem merear, quam calamo propugnavi! Interim cognovit Anglus Suaris librum suis illustratum potius flammis, quam extinctum fuisse. Terebatur omnium manibus; multis lucem, errore discusso, & salutem afferebat. Eundem iterum notare ignominia, & severis edictis prohibere ne quis legeret, ne quis penes se haberet, instituit. Neque id satis. Scripsit ad Philippum Regem Hispania, cum eoque graviter exposulavit, quod scriptorem perditissimum, ut ajebat; hostem professum regis dignitatis, vivere pateretur; à se quidem exitialem ejus librum flammis addictum: Philippi jam partes esse, ut ne inultum scelus auctor ipse ferret. Intellexit facile Rex Catholicus, quibus è fontibus manarent ejusmodi querelæ: ne nihil tamen Regi, majestatem læsam conquerenti, annueret; utque nancisceretur aditum aliquem ad saniora consilia ipsi subjicienda, negotium dedit doctissimis præfulibus ac theologis, ut examinarent accuratè volumen totum, & quidquid in eo notassent censura dignum, ad se singillatim referrent. Concors omnium sententia fuit integerrimam libri esse doctrinam, sacrarum litterarum oraculis, decretis conciliorum, & Patrum effatis, nixam. Eandem Principum rationibus nulla ex parte adversari, cum per legitimum erga Summum Pontificem obsequium nequaquam minuat illorum auctoritas, sed muniatur salus: & quidquid ad religionem tuendam pertinet, communi Principum populique bono serviat. Delectatus hoc judicio Philippus dignam Catholici Regis pietate ad Jacobum epistolam misit. In ea Suaris doctrinam à criminibus objectis vindicat; deinde vero ipsum Regem hortatur graviter ut eam teneat Fidem, quam suos majores à tot seculis coluisse perspicit: quam ipse à sanctissima religiosissimæ parentis disciplina hausit. Cavendum ne cæco libertatis studio inductus in fraudem, se suosque gravissimis calamitatibus & periculis implicet; non obstrui sic aditum factionibus, verum aperiri: cum nemo fas sibi non putet esse Principibus frangere fidem, qui frigerint eam Deo. Nimis verum augurem Philippum exstitisse consequentia tempora docuerunt. Quod parum feliciter in Hispania molitus erat Angliæ Rex, hoc magis è sententia tentavit in Gallia. Liber Francisci Suaris publice combustus est Parisiensi senatus edicto*. Credi vix potest quibus inceserint latitibus Angli: quot exempla Parisiensis edicti, in vernaculum conversa sermonem, per Angliam disseminata fuerint; cum interpretis epistola edicto præfixa, in Societatem pro more declamantis, imò etiam affirmantis approbatum fuisse à Patribus Societatis in Gallia Juramentum Fidelitatis.

ANGLIÆ Scotiam, Scotiæ Hiberniam subjungimus, ut ejusdem principatus, ita hæreseos communionem junctas. Post luctuosam Henrici VIII. ab Ecclesia catholica defectionem, Scotia per aliquot annos integritatem Fidei retinuit, Jacobi V. Scotiæ regis studio, qui pestifera novitatis semina igne ac ferro succidere laboravit. Post ejus mortem, quæ in annum MDXLII. incidit, regni administrationem & Mariæ Stuartæ recens natæ tutelam suscepit Jacobus Hamiltonius, Comes Arania, ac dicendi agendique licentiam novæ doctrinæ cupidus dedit: repugnante vehementer Regina matre, Guisiorum sorore. Hæc religioni catholicæ consultum volens, adduci nunquam potuit ut Mariam filiam Angliæ educandam traderet, quam Henricus VIII. uxorem filio suo petebat: imo egit cum Scotiæ proceribus ut eam Francisco Gallia Delphino darent conjugem. Ducta in Galliam nupsit decem post annis * eidem Francisco, & Scotiæ regnum matri gubernandum tradidit. Quæ vires hæreseos validiores cernens, quàm ut eas commodè posset infringere, catholicam rem agrè sustentavit contra regni ac religionis hostes.

98.

Hunc in Anglia
& in Gallia cō-
burendum An-
glia Rex curat.

* Vide Librum
XII. n. 94.

S. VIII.

SOCIETATIS LA-
BORES IN SCO-
TIA.

* Anno 1559.

stes. Addidit iis animos & arma subministravit Elisabetha, quam Angli solio imposuerant, insensa Mariae Stuartae ob eam in primis causam, quod Stuartae jus in Angliæ regnum, ut Henrici VIII. heres, sibi arrogaret, cujus etiam titulum & insignia statim ab obitu Mariae, ejusdem Henrici filiae, sumpserat. Mortua Stuartae matre, hæretici liberas velut habenas nacti, duce atque auctore præcipue Moravia Comite, divina omnia & humana jura proculcarunt. Interim Maria Stuarta, extincto Gallia Rege Francisco II. cui nupserat, in Scotiam suam rediit, ut religionem restitueret. Hæreticorum factio, viris armisque prævalida, piis Regina consiliis obsticit. Contumeliis affectam conjiciunt in carcerem. Ex eo feliciter elapsa confugit ad Elisabetham. Loco asyli, quod quarebat, vincula necemque demum invenit. Successit Elisabethæ Jacobus sextus, Scotiae, & primus Angliæ, Scotiae & Hiberniæ Rex, Mariae Stuartae filius degener; qui regnantem in Anglia hæresim, confirmavit in Scotia. Non destiterunt Romani Pontifices quamcumque poterant opem regno miserrimo impendere; submissis, præsertim à Societate, sacerdotibus, qui catholicorum foverent reliquias, & oppressam tristi jugo veritatem assererent. Vix Apostolicis confirmata litteris erat Societas, cum Alfonso Salmeron & Paschasius Broetus, duo è primis Ignatii sociis, in Hiberniam à Paulo III. * missi, eâ lustratâ in Scotiam se contulere. Sed cum nihil pacatum, nihil tutum reperissent, in Italiam sunt revocati. Neque plus admodum profecerunt PP. Nicolaus Gaudanus, Edmundus Haius, Henricus Samearius, alique deinceps in eandem Scotiam profecti. Cum vero Jacobus Scotiae Rex initio magnam religionis catholicae propugnandæ spem fecisset, placuit rursum pristinos conatus instaurare. Igitur anno MDLXXXII. Scotiam ingressus est P. Guillelmus Crittonius, ut narratur Libro II. hujus V. Partis. Inde Romam petiit, ut Summum Pontificem de re tota faceret certiorum. Spes optimas Elisabetha solitis artibus evertit. Rursum anno MDLXXXIV. in eandem Scotiam navigavit P. Guillelmus Crittonius, cum P. Jacobo Gordonò-Huntleò. Mercatoris prodicione ambo detecti, & à Batavis capti sunt. Gordonus in gratiam suorum affinium, quorum præcipua inter Scotos nobilitas erat, libertate donatus est: Crittonius ductus Ostendam, Batavici tunc juris urbem, Elisabethæ petenti ab Hollandis donatus, & abductus Londinum: ubi, cum varias interrogationes captiosè ac fraudulenter propositas dissolvisset, in Londinensem turrim fuit inclusus. Venerat per id tempus à Jacobo Rege Scotiae legatus in Angliam Patricius Graius: illi Maria Stuarta enixè commendaverat, ut Crittonium in libertatem vindicaret; eundem Crittonium, ut Mariae negotia diligenter curaret, per litteras rogaverat. Graius, insigni perfidia, utriusque epistolas exhibuit Elisabethæ, ejusque ministris. Rumor extemplo diditur Crittonium fuisse participem conjurationis, quam pro Maria contra Elisabetham Pagettus alique viri nobiles inierant. Id aiebant esse compertum non modo ex istis Crittonii litteris Londini scriptis; sed etiam ex aliis, dum caperetur, laceratis ab eodem & projectis in mare, sed casu mirabili, à vento rejectis in navim, apteque postea conglutinatis. Nam istis artibus & litteris ementitis, ut Cambdenus ipse profitetur, Elisabethæ præceverius quàm historicus *, exitium plurimis creabatur. Quamvis autem Crittonius demonstraret se Parisiis, dum hæc ibi conspiratio constabatur, absuisse; nihilominus in gravissimo discrimine versabatur, nisi ejus innocentiam testis inexpectatus & minimè suspectus comprobasset: nempe Guillelmus Parrius, qui conjurationis contra Reginam initæ convictus, consultum à se de nefario, quod meditatus erat, facinore Crittonium dixit: at simul affirmavit, se ab illo deterritum & graviter objurgatum fuisse.

* Anno 1542.

99.
P. Guillelmus
Crittonius in
vincula con-
jectus, accusatus,
& absolutus.

*Cambden. ad an.
1585. §. Quo tem-
pore.

100.
Parii Syco-
phantæ historia.

Hujus Parrii (quoniam ex illo quoque invidia Societati quæsitæ est) confilia & eorum exitum breviter expediam. Is facinorosus & egens, cum à juris scientia, quam profitebatur, nihil admodum lucri colligeret, animum appulit ad publicæ rei negotia, vulgo quæstiosa; seque obtulit Reginae ministris navum, ut aiebat, exploratorem, & strenuum. Ea mente, post acceptum aliquid ad rem bene gerendam stipendium, in Galliam venit; ibique statuit exercere susceptam exploratoris artem, ejusque facere periculum in P. Guillelmo Crittonio. Hunc
ut

ut facilius in laqueos induceret, fingit se Calvinii toxicum vetus exspuere velle, ac Fidei veritatem puris è fontibus haurire. Acceptus benigne à Crittonio, & Fidem catholicam professus ore, simulat sibi esse in animo Angliæ Reginam è medio tollere, & uno vulnere tot catholicorum sanare vulnera: percontatur eequid officio salvo fas sit. Nefas omnino esse Crittonius respondet, ac perfidum caput procul jubet facessere. Sycophanta præter spem repulsus tam duriter, speravit se alios sacerdotes Societatis faciliores inventurum: & catholici personateus, pergensque Venetias, cum P. Benedicto Palmio loquitur (non tam apertè quàm cum Crittonio, in quo inserat operam, sed per ambages) de grandi quodam consilio, quod moliebatur ad liberandos Calviniana servitute in Anglia catholicos. Palmius hominem nihil moratus remittit ad Nuncium Pontificium: cui Parrius litteras dat, obsecrans ut Romam quamprimum perferendas ad Summum Pontificem curet. Petebat iis litteris ut in Italiam tuto venire posset, cum ipso Clemente de magna quadam & arcana re acturus: pro qua feliciter exequenda delictorum indulgentiam ab eo flagitabat. Dum à Pontifice responsum expectat, Lutetiam evadit; ea mente ut aliquem ibi Societatis theologum inveniret, qui hamum voraret insidiosum. P. Robertum Personium adire non sustinuit, cuius integritatem noverat. Apud P. Annibalem Codretum dicitur confessus de peccatis: sed de isto certe crimine aut siluit; aut, quæ par erat, audivit. Aliquot alios sacerdotes Anglos allocutus, neminem qui verbo vel nutu faveret, deprehendere potuit, ut ipse in judicio testatus est. Magnum fidelitatis erga Principes, quam catholica religio, quam Societas nostra præcipit, documentum! quod à Cambdeno, nisi tempori plus, quàm veritati serviret, omisum non oportebat: nec levius argumentum adversus eos, qui Anglis sacerdotibus perfidiæ in Reginam ac perduellionis crimen inferre non cessabant.

Rediit interea Parrius in Angliam. Reginam convenit: significat se ad eam occidentam destinatum à Jesuitis & ab ipso Romano Pontifice; à quo etiam brevi litteras accepturus sit, ac plenam peccatorum veniam, pro tanto facinore sibi concessam. Dicentem excepit Elisabetha sedatè, seu timorem dissimulans, sive quia nebulonem norat; & quietum esse jussit: postremo penitus cognitum neglexit. Ille montes aureos sibi pollicitus, ubi se spretum vidit, arbitratus est nummos à catholicis consequi se posse, vero scelere parrato, quos impetrare falsa delatione à Regina nequiverat. In eam igitur ipsam scelerata vertit consilia: sed à socio conjurationis proditus, & confessus crimen, merito supplicio affectus est. Dum ejus causa Londini agitabatur, eo delatus fuerat P. Crittonius: & quoniam ab eodem Parrio inter illos, quibus aliquid indicasset consilii sui, fuerat appellatus, venit in suspensionem ejusdem criminis. Hanc brevi diluit Parrii confessio, contestantis repulsus se à Crittonio fuisse, facinus impium abhorrente. Nihilominus Crittonium placuit seorsùm & accuratius interrogare. Igitur Walsinghamus, quasi aliud agens, ab illo seiscitatur num locutus olim cum Parrio Lutetiæ fuerit. Negavit, sive rem non satis subito recordatus; sive etiam quia re ipsa non Lutetiæ, sed Lugduni Parrium viderat. Auxit suspensionem hæc oratio Crittonii; jamque in illum gravior quaestio parabatur: sed attentius postea cogitanti, Lugdunensis illius cum Parrio colloqui memoria ipsi recurrit: statimque litteras ad Walsinghamum è carcere conscripsit, quibus negotii totius seriem distinctius explicabat. Eas Daniel Bartolus noster integras refert*. Postquam id Elisabethæ renunciatum fuit, vehementer est admirata hominis è Societate, Scoti, & degentis in alieno regno, ubi liberius loqui poterat, æquiritatem ac fidem: in easque voces erupit: *Hæcine illa tandem est jactata toties Jesuitarum perfidia, capiti nostro terra marique insidiantium? En iste armatis in me scariis ferrum conatus est è manibus extorquere!* nec moram ullam interposuit quin epistolam Crittonii toto spargi regno juberet: haud quidem de fama nostra magnoperè, ut opinor, laborans, quos pessimè oderat: sed securitati suæ consulens ac vitæ, quam putabat fore tutiorem, etiam apud catholicos, si doctrina Societatis & auctoritate muniretur,

* Lib. IV. Anglia
cap. 10.

Ut ut est, certe perhonorificum nobis debet esse hoc Reginae testimonium: cui multo plus quam adversariorum calumniis, toties ad invidiam nobis conflatam repetitis, credi par est. Sed nimirum idem accidit Elisabethae, quod olim Sauli: qui, tamen Davidis innocentiam perspectam haberet, ac porro splendide palamque predicasset; eundem nihilo fecius persequi ac vexare tanquam proditorem non destitit, quem servatorem agnoverat, quem filium appellarat*. Hinc illud est quod Crittonium tunc vinculis ac periculo solutum fuisse nonnulli scripserunt: quippe rati nullum aliud levius beneficium homini de se tam bene merito rependi à Regina debuisse. Sed constat hunc ante Mariae Stuartae necem, quae annis post duobus contigit*, non fuisse liberatum: fortè quia verebatur Elisabetha, ne quid ille pro sua Reginae salute & capite in Scoria vel Gallia conaretur. Sed quam opem Mariae conferre non potuit Crittonius, hanc abundè in ipso carcere, quem exinde liberorem habuit, navavit catholicis, partim consilio partim sacramentorum administratione confirmandis, & ad ferenda fortiter supplicia erigendis: donec tandem Christophorus Hattonus, pro sua singulari apud Elisabetham gratia, fecit ut libertate donaretur. Emissum custodia idem Hattonus familiariter, ut solebat, & amicè domi fertur interrogasse, quid de se Jesuita & Catholici sentirent? Cui Pater, Idem quod de caelis vulgo dicitur; quos astronomi docent motu proprio in orientem ferri, sed alieno & fortiori abripi in occidentem. Sensit Hattonus quid hoc sibi vellet: neque tamen eò perductus est, ut veritati divinae potiùs, quam humanis rationibus commodisque auscultaret. Crittonium subinde, viatico liberaliter instructum, dimisit in Belgium, unde Romam ille se contulit.

Interea Gordonus, quem in Scotiam solviffe cum Crittonio diximus, ibi strenuam navabat operam. Sororis suae filium, Huntlaei Comitem, ad Ecclesiae partes ab haeresi revocavit: dimicationem cum haereticis, interdum coram Rege suscepit. Sed quia parum Edimburgi proficiebat apud malè pervicaces, in Scotiam interiorem ad Septemtriones penetravit; ubi facilior messis & maturior. Venerunt ei deinde suppetias anno MDLXXXV. è Sociis duo P. Edmundus Haius, & Joannes Duræus: ambo Robertum quendam Brucium sacerdotem Scotum, tanquam herum famuli, sequebantur, ut laterent. Et quidem Rex de tota re monitus, siluit; sed Anglos fallere non potuerunt. Itaque cum Jacobus Elisabethae litteras accepisset in hanc sententiam, ut si foedus inicum nuper, esse ratum vellet, sacerdotes omnes, praesertim è Societate Jesu, comprehendi juberet, aut in exilium amandari; promulgatum est edictum quo Socii omnes, nominatim Haius ac Duræus, regno excedere jubebantur, poenâ capitis, si cunctarentur, indictâ. Quamobrem latebras ac fugam coacti captare, fines Scotiae avios incultosque lustrarunt, minori periculo, majore fructu. Quo tempore Gordonus Georgium Haium, apud haereticos eruditionis famâ celebrem, frequenti catholicorum cœtu plaudente, coarguit. Cum enim ille, Gordonum ignorans, & Graecarum litterarum scientia inflatus, multos veterum Patrum locos Graecè, ac memoriter plerosque, recitasset; eos Gordonus praesenti animo colligens explicansque, vitiatos & mendosè citatos, ipsis codicibus prolatis, ostendit. Celebritatem ea res magnam fructumque habuit, plurimis in illa Scotiae parte ad Fidem avitam reductis, aut in ipsa corroboratis. In priorum numero Franciscus fuit Erroria Comes, & regii stabuli praefectus. Interim P. Joannes Duræus totam partem urbem Dunfreiam, urbisque & provinciae gubernatorem Maxwellium reddidit Ecclesiae: qui deinde tamen errorem aut repetens, aut simulans, in pugna caesus est, abscissa manu, quam antea dicitare solitus erat sibi praecidendam si haeresi subscriberet. Ausi deinde sunt Socii parumper è latebris suis prodire, cum Jacobus infandam matris necem ulcisci velle visus est: cum oratorem, ab Elisabetha deprecandae invidiae & facinoris excusandi causâ missum, repudiavit; cum Patricio Graio Catholicorum hosti, cujus perfidiam cognoverat, dignitatem abrogavit; cum denique Dumblanensem Episcopum sedi suae restituit. Utinam Elisabethae blanditias & insidiosas artes Princeps infelix perinde superare valuisset, nec in gratiam cum ea redire properasset! Paululum nihilominus catholica-

* I. Reg. c. 22.

* Februar. 1587.

101.

P. Gordonus Huntlaeus, & alii de Societate rem strenuè gerunt in Scotia.

res propter oblatam spem fortunæ melioris respiravit: quâ opportunitate usi Patres, labore aucto, Socios quibuscum eundem partirentur, accivere. Quocirca remissus in Scotiam est Roma Crittonius; adscitus è Lotharingia Georgius Duræus, Joannis Duræi frater. Eodem venerunt è Polonia Robertus Abircrombius & Guillelmus Ogilbæus; quorum adventus eo magis fuit necessarius, quòd Joannes Duræus ærumnis & morbo succubuerat*. Non diu securis & pacatis illis esse per Elisabetham licuit. Metu Hispanorum liberata, imò bellum iis vicissim inferre meditans; ne quid haberet à Scotis metuendum, catholicos per ipsum Regem oppugnare statuit. Eum igitur invidiosis sermonibus in illos vafra mulier extimulat, simulates & odia ferit; nec irritò conatu. Postquam enim regni Scotici primores arceri se ab aula; variis criminibus, ut perduelles, onerari; vexari clientes suos, viderunt: corripiunt arma, Regis copias fundunt fugantque. Hujus quoque belli causa Patribus, ut omnium tumultuum architectis, adscripta est. Itaque in Belgium Crittonius, Haius in Galliam, ambo mox in Italiam remigrarunt: restitère clam Abircrombius, Ogilbæus, & Gordonus.

Ecce autem nova rerum facies. Scoti proceres cum Jacobo, qui nuptias agnans pacatam cupiebat habere Scotiam, in gratiam redeunt. Rex, pace composita, pergit in Norvegiam, inde sponsam petiturus. Eam domum anno insequente*, cumque illa spes lætissimas duxit. Rursum quies ab Hæreticis, & otium. Quamvis enim sponsa regia, è Danico esset prognata genere, ac Lutheranis imbuta fabulis, tamen catholicis favebat, & accessitum sæpe P. Abircrombium libenter audiebat. A quo demum edocta Lutherum abdicavit, & in Ecclesiæ Christi sinu supremum postea diem clausit. Parem navavit operam Abircrombius multis proceribus eodem infectis veneno: Rege, qui norat hominem, dissimulante, & eum palam aucupii regalis præfectum vocitante. In aula quippe debebat, quasi regiorum accipitrum moderator & custos, quod munus nobiles aulici sustinere solent. Regis dissimulatione ac Regina benevolentia illectus P. Alexander Macurraeus Mussiponto advolvit in Scotiam, ad religionem cum Sociis, dum tempus favebat, excolendam. Sed quid aulâ Principum instabilis, præsertim cum huic mari per se jam infido hæresis incubuit? Rex præconum erroris clamoribus ac minis territus causam religionis & suam deseruit. Ejus facilitate ac metu facti confidentiores improbi, aulæ sunt* moliri multa contra regiam auctoritatem; clandestinos habere cœtus, seditionum faces accendere, omnia sibi contra jus fasque arrogare: adeo ut Rex, tantum licere vilissimis capitibus indignè ferens, abjectas catholicorum partes erigere de integro statuerit. Eam ob rem justus à proceribus est Gordonus Romam properare clam, ut certiore de re tota faceret Pontificem, ac necessaria religioni pristinum in statum revocandæ subsidia conquiret. Rem è sententia consecerat, cum in Scotiam revertens anno MDXCIV. exeunte, mutatum Elisabethæ solitis artibus Regemprehendit, iratumque catholicis; quasi Scotiam & Angliam Hispanis proderè conarentur: hoc enim terriculo Principem incautum callida mulier ludificabatur. Regni comitia convocantur, ac sententiam ferre de addictis Romano Pontifici proceribus jubentur. Adfuit rara nobilitas; cumque sententiam dicere abnueret*, nihilominus ministrorum impietatis, & nonnullorum id genus suffragiis, dynastæ catholici proscripti sunt. Illi collectis actutum copiis immissum ab Angliæ Regina exercitum profigant.

Eâ clade efferati religionis hostes Jacobum urgere non cessarunt, ut saltem P. Gordonum, feralis belli, ut aiebant, auctorem exilio plecteret. Quem Rex, ob mores placidos & fidem in patriam laudans, abire tamen compulit; hoc unum petentem prius & obsecrantem, ut liceret sibi cum doctoribus hæreticis manus coram ipso ac senatu conferere; vitam se professus deponere, si vinceretur; modo errorem deponerent, si vinceret. Tam æquas ut acciperent condiciones adduci nunquam potuerunt; veriti ne turpius etiam argumentis catholicorum quàm armis superarentur. Victor hac adversariorum fugâ, & imbecillitatis confessione, Gordonus, patria præclarus exul cessit. In ejus locum irrepserunt Guillelmus Murdochus, Mussiponto missus ante menses aliquot; & Joannes Myrtonus, Scotus;

* Obiit 20. Octob. an. 1588.

102.
P. Robertus Abircrombius Regiam Scotiæ ab hæresi revocat.

* An. 1590.

* An. 1593.

* Cambdenus ad an. 1594.

103.
P. Gordonus iterum Scotia ejicitur. Alii de Societate subeunt. Seminarium Scoticum.

tus: sed hic statim agnitus captusque; mox, jubente Rege, liberatus, & in Belgium est remissus: Murdochus & Abircrombius (nam videtur hoc ferè tempore mortuus Guillelmus Ogilbæus) ad colligendas catholici naufragii tristes reliquias, in latebris subsederunt. Crittonius in Belgium è Scotia compulsus Seminarium Scotticum Duaci collocavit. Fuerat illud à Maria Stuarta fundatum Mussiponti, & Pontificis liberalitate sustentatum. Visum est postea fatius ut in aliquo Hispana ditionis oppido, nec procul ab oceano Britannico, poneretur. Id anno MDXCIII. Crittonius perfecit, & alumnos Duacum transfudit. Qua in urbe Seminarium hodieque floret, concurrentibus in hoc asylum tum nostris è Scotia cedere coactis, tum juvenibus Scotis, domo plerumque ob religionem profugis*.

* *Infra. num. 123.*

104.
Gordonus Scotiam repetit. Pulsus redit, & pugnae copiam hereticis facit.

Interim cum acerbior in dies causa religionis in Scotia fieret, Gordonus aditum in eam rursus tentavit ineunte Junio anni MDXCVII. Statim edictum atrox & immane conscribitur, ne quis illum tecto accipiat, ne quis vivere patiarur, Mitigatum paulo post edictum est opera Huntlaei Comitis, qui P. Gordonum propinquus gratia valebat apud Regem. Praestituti dies pauci, quibus elapsis Scotia in perpetuum cederet. Satis otii putavit sibi Gordonus esse in his temporibus ad manendum concessi angustiis, ut aliquam haeresi plagam imponeret. Scribit ad Regem, & facultatem disputandi cum novitiis religionis magistris, coram ipso regnique proceribus, flagitat. Detrectare palam certamen tam splendide ac fidenter oblatum ausi non sunt. Respondent se adfuturos, ubi primum peracta synodus nationis fuisset, quae in proximam indicta diem erat. Ita extrahebant tempus, effugium captantes. Tandiuque illa synodus procrastinata est, donec praefinita Gordonum lux ad discedendum affulset. Tunc enimvero dolere se significant quod congregari non liceat; posse illum nihilominus antequam discedat, publice verba facere. Annuit, modo ad frequentem dicere populum liceret. Dederunt fidem, & sefellere. Exclusus populus, & res à seditione parum abfuit; quam ne conscivisset Gordonus videretur, discessit; & in Norvegiam delatus, inde Hafniam, denique Hamburgum venit, amplissimum Germaniae ad flumen Albim emporium; sed haeresis incendio ab annis fere sexaginta miserè deformatum. Unum catholicis non paucis, commercii causa ibi degentibus, praesidium, ac solatium erat pius sacerdos; quem gravi morbo implicitum supremis sacramentis opportunè adveniens communicavit. Ejus locum ut acciperet ab iisdem oratus catholicis, quibus sacerdos moriens vehementer fuerat auctor ut Patres Societatis accesserent; ea de re ad Nuncium in provinciis Rhenanis Apostolicum, praesidique Societatis, scripsit. Ipse in omnem revisenda Scotiae occasionem imminens, rursus commisit se mari. Tempestate abreptus in Frisiam, inde in Hollandiam rejectus, quassatam & armamentis omnibus exutam navim aegrè appulit Enchusam: ubi gravissimum à praefecto urbis haeretico periculum adiit. Eo liberatus denique patriam anno MDXCIX. quarto Id. Decemb. tenuit. Quamvis ad publicam disputationem Calvinii doctores non semel provocasset, ipsumque Regem certaminis testem deposcisset, nihilominus jactaverant more suo, Gordonum disputationis metu profugisse, captare latebras, Principis ac senatus oculos judiciumque declinare. Rumor indignissimus illi stimulos addidit, ut quam celerime remigraret, ac modis omnibus adversarios ad certamen eliceret: nec desuperabat assentientem ac praesentem habere se Regem posse, cui carus & notus erat. Hunc statim adire constituit, lucemque veritatis ingerere vel invito. Nec sane fuisset ausus divertere ad quemlibet alium, etiam è prima nobilitate: siquidem edicto cautum fuerat, capitale ut esset, si quis ipsum tecto acciperet. Ergo sub noctem egressus Litha (oppidum est vicinum Ebimburgo) tendit recta in regiam & ipsum Regem admonendum curat. Sacerdotis amici periculo & fiducia Rex attonitus, eum in arcem remisit, regia expectaturum iussa. Interrogatus postridie, respondit se Regis aequitate fretum & clementia venisse, ut omnes intelligerent se nequaquam defugere certamen de religione publicum, cujus copiam ante biennium adversariis fecisset: adesse paratum ad conferendas manus, audiente Rege. Si, peracta disputatione, constaret quidquam à se prolatum, quod veritati ac Dei verbo adversaretur, nullum se supplicium deprecari.

Con-

Confernati hac denunciatione duces Calviniani agminis, palam in eum debacchari cœperunt, nec de disputatione laborandum dicere, sed de pœna proditori ac perduelli confestim irroganda. Non unum illum venisse; missos cum eo pariter à Pontifice complures è Societate, qui præcipuos Europæ Principes veneno vel ferro tollerent. His accensa plebs conjurabat in caput innocentis: nefarios impetus inopina res compefcuit. Faces populo furenti subiciebat, inter ceteros hæresis ministros, unus propter ventosam doctrinæ famam auctoritatemque Regi & proceribus non tam acceptus, quàm formidatus; collegii, quod recens Edimburgi datum alumni nova doctrinæ fuerat, moderator. Is in arenam cum Gordonò visus est velle descendere, modo privatim certaretur: materiam quoque disputandi proposuit, sumptam è libro à se nuper edito contra Bellarminum: de quo rogavit Gordonum, ut mentem suam scripto explicaret. Verba enim, inquebat, prætervolant; tenentur scripta & manent. Non recusavit conditionem catholicis pugil: exaravit libri refutationem minime verbosam, at rationibus argumentisque gravem. Opus ea non fuit. Nam libri pestilentis auctor, paucis post diebus, quum multa contumeliosè in Gordonum, impiè in Superos evomisset, inter acerrimos dolores, arcana percussus manu, animam infelicem exhalavit. Hoc veluti Goliatho cadente, cecidere ducibus partium reliquis animi: nemo qui Gordonò scripto responderet, nemo qui dimicationi se committeret, fuit. Auditi plurimi partim clamitantes veneficio & cantionibus magicis extinctum ab eo lumen Calvinianæ scholæ; partim Regem orantes ut nemini fas esset veteratorem improbissimum alloqui; ut morte, aut saltem exilio, pœnas daret. Rex vocatis proceribus, quid de Gordonò conferent quæsit. Omnes, uno excepto, vacare culpa censuerunt, quia se Regi credidisset; quia de una veritate investiganda sollicitus, negotia publica non attingeret; quia demum doceri, si qui disputare vellent, non defugeret. Rex valde illis assensus est, furentibus mendacii præconibus, quos ne iratos haberet, daturum se operam dixit ut Gordonus, cum primum esset commodum, renavigaret in Hollandiam: interim in arce haberetur, omni civium alloquio prohibitus: quam tamen conditionem abrogandam curavit Comes Huntlaus, Gordonò fratris filius, cui Scotiæ pars septentrionalis parebat. Itaque ab arce in civitatem descendit, ingensque ad eum factus catholicorum concursus, nec minor hæreticorum: quorum magistros iterum provocavit ad pugnam. Diu tergiversati, alias ex aliis neſtendo moras, tandem responderunt Gordonum nimis pertinacem esse, neque ad veritatem amplectendam adduci posse. Nonnulli se congressuros polliciti, Rege annuente, hora constituta, designato loco, sedentibus & collectis omnium ordinum auditoribus, expectati per diu, nusquam apparuerunt. Hunc in modum, quinque mensibus in Scotia consumptis, commendatitiis à Rege & Regina litteris instructus, in Daniam, ubi tempora expectaret commodiora, & ubi jam fructus colligere non pœnitendos cœperat, se retulit. Catholicos interim è latebris adjuvabant tres Societatis sacerdotes, Robertus Abircrombius, Guillelmus Murdochus, & Alexander Maccurræus. Nam Georgius Christi (aliter Elphinstonus) qui subierat in Scotiam anno MDXCVI. proditus, & ad regem perductus, ab eo quidem exceptus fuerat humaniter; at egredi regno iussus, abscesserat in Belgium.

Dum sanam doctrinam Scotia respuit, eam prodigia non uno in loco edita testabantur. Adolescens oculis captus parentem hæreticum summo afficiebat dolore. Auctores illi fuerunt amici catholici, ut filium sacerdoti Societatis erudendum daret: esse in religione catholica miraculorum vim effectricem, testem veritatis, argumentum præsentis Numinis certissimum. Ille, quamvis Calvino arctissimis vinculis obstrictus, & odio nostræ Societatis ardens; tamen, ut est melioris consilii facile patiens calamitas, annuit. Eruditur adolescens, & ad lucem Fidei aspiciendam conversus divino sacrificio interest. Attollente sacram hostiam sacerdote, subito exclamat videre se. Accurrit parens cum omni familia; filium attonitus complectitur, ab eo nunquam ante conspectus: simulque detestatus priscum errorem, illos quibus nihil nisi Calvinum videbat, amisit oculos; alios, quibus veram deinceps religionem videret, accepit. Vetulam in iisdem finibus

Cc 2

gravis

105.
Conjurant in
illum hæretici,
& Scotiam dese-
rere iterum cogunt.

106.
In Scotia ca-
tholicam Fidem
confirmant mi-
racula.

gravis urgebat morbus: arcessit hæreseos ministrum, & Viaticum moritura postulat. Minister Puritanus (hæc secta carimoniam hanc, ut inutilem, contemnit) bonis animum anxiam verbis consolatus abit. Indignata mulier fremebat; cum Societatis sacerdos, cognita re, captavit occasionem; & stomachantem allocutus revocat ab hæresi, confitentem audit, sacro Viatico morientem donat.

Plus admirationis habet quod uni pariter è nostris sacerdotibus contigit. Nobilis Scotus uxorem morbo & hæresi oppressam, duplici morte perituram, summo suo dolore cernebat; apprime scilicet catholicus. Jam medici corpus ægrum deposuerant: restabat una infelicis animæ cura, sed eo difficilior, quòd mulier curari omnino recusabat. Maritus igitur astu ratus utendum esse, sacerdotem Societatis induit veste medici. Prodit ille velut medicus peregrinus, & moribundam contemplans, meliora sperare jubet: notum sibi morbi genus, paratum remedium. Latari familia, laudare medicum, & è jubentis nutu pendere. Ille nescio quod ptisanarium imperat: certam femine salutem, hoc si haurire possit, spondet: ac subinde multa de arcanis herbarum virtutibus eruditè differt; merum Hippocratem dices. Dum portio imperata conficitur, ipse in conclave secretum se recipit, Deum pia precatione placaturus: quæ remedii præcipua vis, at occulta, erat. Rediit cum eleganti pyxide, quæ adstantibus ostentans, latere pulverem in hoc vasculo mirificum affirmat, panacæam adversus omnes morbos, quam vulgus medicorum ignoraret. Erant in pyxide sacri cineres, e tumulo Sancti Patritii Hibernorum apostoli. Ex iis paulum instillavit in cyathum argeateum, ptisana ferventi plenum. Ecce autem, mulier quæ totam se in medicis potestate futuram promiserat, ac potionis summam paulo ante cupiditatem præ se tulerat; ut in cyathum sacer pulvis infusus est, horrore concuti repentino, averfari poculum, jacere inquietos artus, oculos feroces terum ac terribilem in modum convolvere. Sensit sacerdos Tartareas artes, & tacita prece nequissimos spiritus per Dei veri nomen adjuravit. Ægra furere desit, ac poculum fatis quieta hausit. Mox, tanquam evigilans, ubi versor? ait: quis pertinaciam animo, quis offusam oculis caliginem eripit? Attonitus maritus omnes è cubiculo jubet facefere: uxorem jam audientem, compellat de abjicienda tandem hæresi: rogat sacerdos, ecquid redire ad Ecclesiam catholicam velit, cujus in sinu majores ipsius omnes vitam deposuerant. Nihil se malle respondet. Igitur excommunicationis & peccatorum vinculis exempta, postridie in plenam, ut spes est, filiorum Dei libertatem excessit.

107.
Reliquiarum
sacrarum virtus.

Alium in eadem Scotia virum natalibus insignem cupido inceserat erroris deponendi. Jampridem illum veneficæ magicis artibus vexabant: & ceream ipsius confecerant imaginem, quam admotam igni pungebant, lancinabantque. Ea porro vis & ars veneficorum est, ut quidquid in hujusmodi experiuntur imaginibus, hoc ipsum, Deo sic interdum permittente, in se perferant ac patiantur illi, quorum istæ sunt imagines. Tristis nobilem hunc experientia graviter exercebat. Uri se sentiebat absque foco, pungi sine stimulis, vinciri sine funibus, sine laqueo præfocari. Nulla suppetebant remedia; cum nulla mali appareret causa. Negabant medici ullas in suis nartheciis, ac ne in tota quidem natura vires contra genus hoc morborum esse. Subiit nobilem cogitatio, suam in amplectenda Fide catholica cunctationem sic à Deo plesti. Sacerdotem arcessit, ejurat errorem. Mirum! Hoc ipso temporis puncto, imago cerea inter veneficarum manus, ut ipsa postea captæ tortæque retulerunt, dissiluit, neque illam deinde ullo pacto resingere & committere potuerunt. Fontes quosdam prisca religione sacros sive ob divorum memoriam, sive ob aliud monumentum catholicæ pietatis, à populo frequentari ægerimè ferebant ii, qui nihil æque oderunt atque indicia vetustæ religionis. Ad unum ex istis fontibus adducta virgo in Scotiæ tractu, quem Strathanium vocant, oculos quibus dudum nihil cernebat, salutari lymphâ sanos recepit. Alter Divo Finlano consecratus, prope ipsius templum, ad lacum Tavi fluminis in Atholia, rustico septem jam annos luminibus orbato, lucem optatissimam restituit. Calvinus doctor, cum rationibus ineptis abducere poculum ab aliquo ex ejusmodi fontibus non posset; illum sordibus inquinavit. Corripitur alvi profluvio pertinacissimo; diris torminibus excruciat; neque morbi

morbi levamentum invenit, donec ipsum fontem religiosè révérenterque purgaret. Alius simillimi flagitii graviozem pœnam tulit; usura brachiorum & manuum sex totis annis, quos consecuta mors est, penitus amissa. Mulier virum annuo consecutum morbo detulerat ad sacellum Divo Nimano sacrum. Sopor ægrum occupat. Oblata quiescenti species venerandi senis jubet surgere, ac redire domum. Surrexit incolumis, ac domum rediit. Ædiculam D. Nicolao dicatam piscator temerarius invaserat, eaque pro ædibus utebatur; parte una sibi & familia, altera jumentis addicta. Subitum incendium ædes & jumenta consumpsit: piscator ægrè, ac semiustus, emerfit. Illud universè observatum, & sexcentis testatum exemplis, nemini fuisse impune, qui sacras ædes vel diruisset, vel earum bonis fortunas auxisset suas. Elgiæ, quæ civitas Episcopi sedes est in Moravia, Scotiæ septentrionalis provincia, cœnobium Franciscanorum fuit. Iis, dum sacra omnia hæresis vastabat expulsi, ædificia & prædia nobilis catholicis, tanquam à suis fundam & concessa majoribus, vindicavit sibi, atque hæretico vendidit. Hic ad summam brevi redactus egestatem: ille falso crimine accusatus, & capite plexus est. Cuprese monasterium in provincia Angusiæ ab alumnis Divi Bernardi olim tenebatur. Direpta domo, spoliato templo, restabat imago lignea Christi crucifixi. Hanc ut vidit faber ferrarius, Restas hic solus? inquit irridens: & comportatis instrumentis effigiem dimovet. Quæ corruens impium oppresit caput, & excusso sacrilegi cerebro parietem ac pavementum resperfit. Nobilis adolescens in provincia Fisiæ, imaginem Beatissimæ Virginis è ligno, concidit & injecit foco. Ignis exarsit tanta vi, ut domum omnem concremaverit, multis incendio violatis. Sancta etiam est pœnis præsentibus dierum festorum, quos præter Dominicum Calvinistæ passim expungunt, reverentia. Mulierem in agrum, ut opus faceret, egressam die festo, rustici prætereuntes toto corpore laceratam & seminem invenerunt. Famuli ab hero coacti solum aratro invertere, sacra Natalis Dominici luce, boves junxerunt: vix ductis primoribus sulcis, immixtus repente bobus furor alios disperfit, alios in confragosa raptos loca obtrivit.

His admoniti catholici sacros Ecclesiæ ritus observarunt accuratius: hæretici stupentes obmutuere. Sed quos prodigia non expugnabant, illos sæpe Deus vincendos mulierculis objiciebat. Unam reformidabant præ ceteris, genere, moribus, ingenio præstantem; quodque ipsos magis urebat, suarum olim partium errorumque studiosam. Ad hanc ovem pristinum in ovile Calvinii revocandam, missus est ab Episcopo vetus miseri gregis pastor, qui mentem femineam rationum pondere domaret. Hunc matrona ut vidit, Egregiam vero laudem, inquit, & spolia ampla referes, si feminam indoctam vir doctus, & in hac disputandi palæstra tot annos exercitatus, viceris! Meum disputare non est; regere familiam; victum etiam, siquidem omnia eripuistis, labore querere; istæ partes meæ sunt. Cum instaret ille, ac molles ad docendum aditus captaret, Per me vero, ait matrona sapiens, non stabit quin me uberius & arbitrato tuo doceas, si unum mihi expedias nodum: quo soluto, alios feliciter, ut spero, explicabis. Rescire cupio in qua sacrorum codicum pagina tradatur & constet, vos à Deo esse ad docendum & sacramenta ministranda missos. Nam Petro, ejusque sociis & successoribus datam à Christo facultatem hanc & provinciam, liquidò ex iisdem paginis evangelicis constat. Illorum vero, subjecit Minister, fuit ordinaria missio; nostra extraordinaria: illi struxerunt formaruntque Christi Ecclesiam, nos destructam, deformatamque reformavimus. Hoc ipsum, excepit illa, quæro; quis nempe librorum sacrorum locus vestram hanc missionem extraordinariam testetur. Sane, quin extraordinarii sitis ministri Christi negare non possum; tam multa extra, communem Ecclesiæ & sacerdotum catholicorum usum atque ordinem facitis & docetis: tollitis jejunia; illi servant; ducitis uxores; illi abstinent: doctrinam, extraordinariam, extraordinaria Biblia, sacramenta extraordinaria, traditis: itaque extra ordinem vos missos haud miror; illud quæro, à quo fueritis missi. An à Deo? Id vero peto ubi sit declaratum in sacris litteris, Commotus hoc disputationis exordio theologus proferre locum qui petebatur, qui hoc doceret, non potuit. Cum abiret ad alia diversus, ut molestam declinaret interrogationem:

Esto,

108.
Matronæ catholice cum doctore hæretico lepidum certamen.

Esto, inquit illa, locum è Bibliis proferre nullum potes : at hoc certè non negabis, cum homines extraordinarios Deus orbi donat, solitum esse pariter illos ornare quibusdam insignibus & notis, è quibus agnoscant mortales missionem extraordinariam. Hujus generis sunt splendida miracula, vitæ austeritas, morum præcipua sanctimonia. Id exemplis è novo & veteri testamento petitis demonstrabat. Age, ubi Calvini tui miracula? ubi austeritas vitæ? ubi morum integritas? Quod responderet adversarius non habebat, jamque circumstantis coronæ sinistra admurmuratione premebatur. Nutantem impulit acris & contorta mulieris interrogatio. Missum se à Deo Lutherus affirmat: idem affirmat Calvinus: hoc ipsum Zuinglius clamat: clamabant olim Ariani, & quicumque novam invexere doctrinam. Dissident inter se tamen: docent pugnantly frontibus adversis: ex quo perspicui manifeste potest aliquos ex ipsis à Deo non fuisse missos. Quos dicis? Quo tandem argumento præconem Dei & ministrum veritatis Calvinum esse doces, Lutherum aut Zuinglium negas? Aut cur illis, missionem tuam falsam & commentitiam vociferantibus, abrogare me fidem jubes? Hæc eò fidentius mulier, in his contentionibus minime rudis, pronunciabat, quò demissus agere cernebat adversarium: si ve pudor illum prohibebat pugnare cum femina vehementius; si ve concurbabat inopia bonæ rationis, & loci evangelici, ad quem laudandum & citandum, si quis esset, usque usque vocabatur. Sudantem, & de receptu cogitantem, joco etiam illust matrona. Si missionem vobis extraordinariam arrogatis, inquit, eandem sibi vestre uxores pari jure vindicabunt. *Quod enim Deus conjunxit, homo non separet* *. Nec tantum igneas in Apostolorum vertice linguas confedisisse legimus, verum etiam mulierum, quæ in eodem sacro confesso & eenaiculo aderant bene multæ. Quod si vestris uxoribus conceditur jus & facultas prædicandi docendique; mihi, quæso, concedatur saltem venia interrogandi. Alios quæram qui mihi commodius satisfaciant. At tu, facesse, amabo; neque mihi præterea molestus esse cum tuis blateronibus perges. Vestras minas non facio nauci: diras & excommunicationes omni laude potiores duco: ne bonorum jacturam timere præterea possem effecistis. Unum mihi dolet, serius vos cognovi. Hos flores, hanc animi excelsum educant hæreseos pruinæ: hæc lilia inter spinas adulescunt, singulari Divinæ Providentiæ ac Justitiæ, consilio; ut virorum perfidia & levitas fide mulierum & constantia coarguatur. Quanto vero tardius ad Fidem catholicam accesserat hæc matrona, tanto impensius addebat gradum, ut (quemadmodum aiebat) evangelicæ voci faceret fidem, monenti primos postremos fore, novissimos primos. Magnam dici partem ducebat præcando; multa erat in sanctis omni officio colendis, præsentem illorum tutelam sæpius experta, præsertim Divi Ignatii, cujus ope morbum gravem ac periculosum depulerat.

109.
Hæretici à Deo
nequaquam
missi.

* Marc. 10.

§. IX.
P. JOANNES
OGILBÆUS IN
SCOTIA SUSPEN-
SUS.

Sic verbis & vitæ veritatem Fidei mulier fortis asserbat, quam paulo post P. Joannes Ogilbæus, Scotus, sanguine etiam ac morte defendit. Splendorem generis ornabat optima indoles, præcipue vero studium insigne catholicæ religionis: quam cum videret satis tutam habere se non posse domi, perfugit in Germaniam, & Olomucium urbem Moraviæ primariam profectus, constitit in Seminario, quod Gregorius XIII. alendæ nationum variarum juventuti fundaverat. Ibi confecto bonarum artium curriculo, animum ad Societatem appulit: ac tirocinio perfunctus Brunæ, perceptis Græcii in Styria philosophorum arcanis, docuit aliquandiu litteras Viennæ in Austria. Postea sacris theologorum imbutus mysteriis & sacerdotio insignitus, ad opem patriæ laboranti ferendam, quo ejus aspirabant vota, properavit; ac metam, peracto vix biennio, id est, gloriosum Christi causa patibulum attigit, annos tantum quatuor & triginta natus. Glasquum urbs est Scotiæ mediterranea, ad ejus oram occidentalem, è regione Edimburgi. Huc Ogilbæus, procerum aliquot accitu, venerat: qui nuncio novis opinionibus remisso, antiquæ veritati assenserant. Sed, quam difficile est religionis integritatem retinere, si morum sanctimoniam perdidideris! Unus ex illis flagitii gravis reus, ut ejus impunitatem impetraret, prodere Ogilbæum constituit. Innuat se in ejus familiaritatem, tanto ad nocendum aptior, quanto occultior. Innuat domum:

domum: mittit duos ex amicis, quasi ut ipsum tuto deducant. Sequitur Ogilbæus, fraudis ignarus. Ventum erat in bivium; alter ex illis amicis rogat ut ad se ne gravetur paulisper divertere; negat alter se passurum, sed recta ut pergat, neque moram interponat ullam, obtestatur. Instant ambo utrimque vehementius. Pater amicam, ut putabat, litem componere nititur. Fit civium ac licitorum, qui ex composito aderant, concursus, & impetus in Ogilbæum. Protruditur, & in aedes prætoris urbani abripitur à multitudine, vim frustra inclamans, ac Superiorum hominumque appellans fidem*.

Monitus confestim Glasquensis pseudoarchiepiscopus accurrit: vixque sui compos præ gaudio, ut primum accessit propius, sacerdotis innocentissimi vulnere porrecta manu ferit; increpans atrociter, quòd catholicus sacerdos in urbe reformata rem divinam facere ausus esset. Non aliud huic tam benignæ salutationi responsum dedit Christi discipulus, quàm sui magistri voces, cum alapa, divinum os cæderetur. Hoc sublato quasi signo, & facta potestate læviendi, omnis in Ogilbæum effudit se multitudinis circumfusæ furor. Alii colaphis caput tundere; alii pugnos in pectus ingerere; barbam alii capillosque vellere; vestes plerique detrahere, subucula vix relicta: ulteriusque processisset impotentis plebecula rabies, nisi Comes Flimingsius indignitate rei motus insaniam furentium compressisset. Ista prolusione crudelitatis speraverant subigendum ac domandum, ut metu fractus imperata faceret. Verùm ab eo nihil extorsere præter contemptum suppliciorum, licet acerbiora minarentur; cumque diutius ferre constantiam interriti vultus & animi non possent, in vincula coniectus est. Postero die palam interrogandus è carcere in aedes antistitis producit; quo magnus procerum & populi numerus convenerat. Ibi generosus athleta, quamquam corpore vehementer debilitato, difficillimam ac diurnam luctationem animo tam præsentem, tam forti, sustinuit, ut adversarios ira pariter & admiratione perculerit. Nec modo fortiter, sed cum urbanitate quadam & palæstra, excepit petitiones ac telapugnantium apertè, vel subdolè grassantium: hoc unicè cavens, ne quam daret aniam objicendi sibi cuiuspiam sciti falsique criminis; cum unico & vero nomine reus esset, catholica nimirum religionis professæ ac promulgatæ. Quæsitum ex eo fuit ubi & quando fecisset rem divinam. Id si vitio vertitur, ait, testibus est probandum: eos cum proferetis, respondèbo: nunc verba perdere, otium & animus non est. Quæ legibus dicere jubebor, ea liberaliter & cum fide dicam: tacebo cetera. Rogatus ecquem Scotiæ Regem agnosceret, Jacobum reipsa Regem esse respondit. Cur in Scotiam venisset: Ut vestræ, inquit, omnium saluti confulerem. Unde sibi sacrorum jus arrogaret, quod neque à Rege, neque ab antistite Scotorum, accepisset. Neque Regi, neque falso pastori, jus ullum in res sacras esse ostendit; eosque facultatem, quam haberent ipsi nullam, aliis impertiri non posse. At se Christi sacerdotio initiatum à legitimo ejus vicario, Petri successore, penes quem sacrorum potestas unum esset. Hanc in sententiam cum vehementius disputaret, evinceretque Romano Pontifici, in ea quæ ad religionem pertinent, ubique locorum imperium esse; sciscitati sunt num doctrinam hanc suo chirographo paratus esset obsignare. Imo, inquit, sanguine. Veteres de conjuratione pulverea nánias objecerunt. Explofit calumniam, & Societatis homines extra culpam hanc semper fuisse docuit: deinde veris conjurationibus, quas ipsimet in Regem conlavisent, prolatis, crimen in convictos & obmutescentes retorfit. Jam horas complures consumpserant interrogando, neque tamen quidquam promoverant: cum Ogilbæum ab horis quatuor & viginti impastum & languentem subitæ febris horror invasit. Admorum foco Calvinista inhumanus conviciis & probris lacecessit: vixque sibi temperavit quin præcipitem illum jaceret in focum, cui affidebat. Id cum sæpius minitaretur: Mihi vero, subjecit Ogilbæus, in præsentia quidem nihil accidere potest optatus, ut frigus istud, quo totus algeo, depellam; tuque augebis tuum hunc focum, qui tam malignè ac parcè ardet. Interea Londino afferuntur litteræ quibus Edimburgum, Scotiæ caput, deportari jubebatur, & novo cruciatu (Ocreas vocant) torqueri; ut catholicorum nomina proderet, quibuscum esset aliquando versatus. Rursum igitur fatigatur

* *Pride Ius*
Osob. 1614.

I IO.
Proditus captusque illudatur à plebecula, interrogatur à iudicibus.

III.
Edimburgum deducitur. Ocreæ tormenti genus. Crudelis vigilia.

* Matth. 22.

gatur interrogationibus partim infulsis, partim gravibus; ac de rebus contrariis, nunc separatim, nunc conjunctim, ut *caperetur in sermone* *. Captantibus semper est elapsus. Mutata pugnae ratione, blanditiis aggrediuntur, sed ridentem & vicissim blandientem. Minas ostentant, ac ferales illas ocreas: crura porrigit, & se ocreas habiles pedibus inducere solitum dicitur. Sunt autem illae, quas appellant, ocreae, lignei asserculi, qui à genibus ad talos usque crura sic ambiunt & arctissime constringunt ut, constrictis ossibus, interdum expressa per rimas medulla extillet. Non placebat iudicibus hoc tormenti genus, quia crudelitatis diuturna vestigia relinquebat: eamque sedulo famam fugiebant barbara immanitatis, qua novitatis sectatores vulgo laborant; quos cum religione humanitatem credas penitus exuisse. Sed dum crudelitatis nomen umbramque isti fugiunt, rem ipsam retinere. Vetus supplicium instaurarunt, quo non tam invisio sacerdoti vitam eriperent, quam constantiam & mentem. Octo diebus totidemque noctibus vigilare sine ulla intermissione coegerunt. Stabant appositi satellites, qui alii alios, integri fessos exciperent. Pungebant filis ferreis ac veruculis totum corpus, ne qua parte somnus obreperet. Saepe vocibus inconditis implebant aures; saepe brachia correpta pedesque distorquebant: raptabant prostratum humi; caput pectusque instar tympani tundebant. Ea vis hujus tormenti fuit, ut superveniens nocte nona medicus, & vitam fugientem ex intermortuo vena micantis pulsu sentiens, ultra tres horas vivere hominem posse negaverit. Igitur, ne citius quam vellent periret, paucas indulserunt ad quietem tamdiu negatam horas; ac summo mane iudicibus obtulerunt oppressum, fractum, ac defatigatum, adeo ut animam singulis momentis acturus putaretur. Hic placebat hominis status. Excitant, urgent, interrogant, minantur, palpant. Sed incredibili dolore suo, vigilantem, & eodem animi robore praeditum senserunt. Cum vero ipsos, etiam vigilantes, somnare in religionis negotio; cum insanire, cum pugnancia loqui & facere, manifestis argumentis demonstraret; molestum doctorem remisere Glasquum, ut pudorem suum saltem ejus absentia levarent.

112.
Glasquum re-
ductus graves
sustinet crucia-
ciatus, & morte
gloriosa supe-
rat.

Ibi aliis & exquisitis suppliciis eodem successu tortus est, semper victor, semper sui potens, & fracto in corpore Fidem mentemque vegetam servans. Denique, urgente antistite, qui necem ejus decreverat, eumque falsis apud Regem oneraverat criminibus, capitis condemnatur. Tunc demum respirare & quiescere est visus: pedes abluit, vultum pudore sordibusque carceris marcentem, & vi tormentorum contractum, explicuit; amicos ad suas, ut vocabat, nuptias invitavit. Noctis partem à tumultu satellitum vacuum nactus, precationi dedit. Prima luce confluit civitas omnis, visura hominem, cujus constantiam dolis doloribusque majorem livor ipse laudabat, pietatem ipsa venerabatur impietas. Quocumque triumphalis potius quam feralis pompa ducebatur, exaudiebantur palam voces bene precantium, nec sine lacrimis commiserantium. Ipse carnificem timide accedentem amice complexus, bono animo esse, & facere fortiter imperata, iussit. Ne populum, ut mos erat, alloqueretur prohibitus est: temperare tamen sibi non potuit, quin erroris praconem & ministrum, nescio quid de crimine laesa majestatis vociferantem, imperioso nutu, cui vim orationis causa bonitas & conscientiae fiducia dabant, refutaret. Ogilbæo assensu sunt omnes: nec silentio solum, sed admurmuratione secundissima, religionis catholicae nomen illius unum esse crimen agnoverunt. Quod cum alius ceteris praedicaret Joannes Albergrombuis, vir nobilis, & Ogilbæo non sanguine magis quam religione conjunctus, à satellitibus deturbatus est è theatro, quod, ut morienti propior adesset, ascenderat cum aliis aliquot amicis: fregissetque cervicem proculdubio, nisi supra confertam multitudinem corruisset, non sine aliquorum damno.

At Ogilbæus sanctè Superos omnes testatus nihil dictum a se factumve, quo majestas regia vel patriae caritas laedi posset, alacer evasit in patibulum: & Beatissimam Virginem, caelitesque ceteros pie precatus, spem suam omnem in Christi meritis & morte sitam esse pronunciavit Latina primum lingua, deinde vernacula: pergebatque catholicos, qui latebant in hac turba, hortari; cum tortor à magistratu increpitus quod cessaret, invita manu & aversante facinus, Ogilbæum

hæum è scalis deturbavit*. Ingens repente omnium gemitus, & qui panegyrici locum obtineret clamor, erupit, detestantium palam injustum judicium; & orantium æquitatem Supremi Numinis, ut parricidii pœnam ab immerenti & innoxio populo in sceleris auctores converteret. Quas vulgi querelas etsi placare studuerunt erroris ministri, nihil tamen aliud consecuti sunt, quàm ut invidiam in se merito conflaram inflammarent. Itaque in mortuum, ut solebant, favire non sunt ausi. Exportatum cadaver & contestum tumulo sub vesperam est: sed à catholicis, ut perhibent, refoffum per tenebras, & abreptum. Quod cum rescivisset magistratus, rem silentio pressit, ne furorem multitudinis, nondum sopitum, periculosus accenderet. Dum Ogilbæi causam & innocentiam tuetur populus; in ejus proditorem Adamum Boidium Deus ultor incubuit. Desertus ab omnibus, omnibus suspectus, nec alio quàm proditoris nomine insignitus, in summam decidit egestatem. Hanc furtis cum levaret, deprehensus & in vinculis habitus est: ubi à furis ultricibus, & spectris occurfantibus, agitatus, diro terrore mentem ream quatiente, sibi tanquam tortori omnium terribimo permixtus, & aliquandiu superstes, fuit. Unus ex Ogilbæi iudicibus, qui pertinacissimè conjuraverat in infantis exitium, Regis gratiâ, quam innocente condemnando male quæsierat, paulo post excidit, ac repentino interitu periit; aut veneno, ut alii narrant, sponte sumpto. Guillelmum Hartum, ejusdem iudicii præsidem, & injuste sententiæ architectum, pœna facinoris non tardo pede secuta est. Cum enim sederet pro tribunali, eo ipso in loco, ubi sacerdotem integerrimum vita privandum edixerat, sensibus alienatus, officio spoliatus, ejectus foro, in tenebris luctuque contabit. Neque in privatos tantum edita sunt exempla divinæ severitatis, sed in regionem universam. Nam hoc ipso anno MDCXV. tanta vis nivium Scotiam opplevit, ut maxina quadrupedum pars interierit, hyemisque asperitatem summam annonæ diuturna caritas exceperit.

At Paulus V. gravissima Scotorum catholicorum pericula secum reputans, collegium iis Romæ assignatum novis auxit beneficiis, ejusque curam Societati imposuit. Instituerat illud Clemens VIII. anno MDC. ut in eo Scotica nationis adolescentes litteris ac moribus nomine catholico dignis imbuerentur; & privilegiis omnibus, quæ sunt Pontificiis collegiis concessa, ditaverat. Ac primo quidem ei regendo præpositi fuere sacerdotes nullius Ordinis religiosi legibus adstricti; vocato nihilominus in curam partem rectore collegii Societatis Maronitarum: demum anno MDCXV. egit apud Summum Pontificem Maphæus Cardinalis Barberinus, collegii protector, ut ejus omnis administratio Societati demandaretur; ac leges alumni observandas tradidit, illudque in primis sanxit, ut jurati promitterent se, confesso studiorum curriculo, post susceptos rite sacros Ordines, redituros in Scotiam; in eaque vitam sacramentis ministrandis, confirmandis catholicis, hæreticis confutandis, traducturos. Certam istius jurisjurandi formulam Alexander VII. anno MDCLX. præscripsit, eaque nunc ab alumni usurpatur. Anno MDCLXV. ædificatum est templum collegii, & S. Andrea Scotorum patrono dedicatum. Ex hoc collegio prodire plurimi sacerdotes egregii, ornamenta patriæ, lumina & propugnacula religionis, quam in Scotia iudoribus, ærumnis, sanguine, testati fortiter ac tutati sunt, ac tueri modo pergunt.

LAUDATA semper est Hibernorum pietas in catholica Fide retinenda. Operam illis vixdum nata Societas navavit, missis Alfonso Salmerone, ac Paschasio Broeto, primis Ignatii sodalibus. Alii subinde in eorum locum & labores evangelicos successere: quos inter præteritum nostris in annalibus miror Patrem Edmundum Donatum (Donaldum alii vocant:) qui in Hiberniâ, quo illum Gregorius XIII. miserat, ipso ingressu deprehensus, & Limericum abductus est, unde oriundus erat. Ibi vinculis, probris, cruciatibus maceratur. Sed cum à Fidei constantia dimoveri non posset, Corcagiam necandus pertrahitur. Tria illi crimina objecta. Primum, quòd in Fidei catholicæ ab Elisabetha damnatæ confessione perseveraret: alterum, quòd ejusdem Fidei prædicandæ ac propagandæ studio in Hiberniam venisset: Tertium quòd Regiam Ecclesiæ Anglicanæ caput agnoscere ac profiteri recusaret. Excepit capitalem sententiam animo non solum æquissimo,

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

D d

verum

*Die 10. Martii.
Anno 1615.

113.
Collegium Scotorum in Urbe.

S. X.
SOCIETAS OPPUGNATAM IN HIBERNIA FIDEM CATHOLICAM PROPUGNAT.

114.
P. Edmundus
Donatus neci
deditus.

verum etiam latissimo; & collo felicem laqueum impiger innexuit. Quem in annum ejus gloriosa mors incidere, certo non constat. Multi sesquimillesimum, octogesimo assignant. Spem reducendæ meliorem in statum religionis fecerat anno MDXCV. Hugo Tirœniæ Comes, qui armis illam defendere aggressus, Ulltonia prope tota, & Connacia potitus erat. Ea spe accensi proceres Hiberniæ catholici, apud Cardinalem Matthæium gentis patronum, & Præpositum Generalem Societatis egerunt, ut aliqui è nostris in Hiberniam mitterentur. Destinati P. Jacobus Arcerus, Hibernorum Seminarii Salmanticensis moderator; & P. Henricus Fitzsimon philosophiæ professor Duaci. Ex eorum litteris apparet operæ pretium ab ipsis factum esse minimè contemnendum. Quibus Aquaviva respondens anno MDXCVII. gratulatur; ac simul monet ut locorum, in quibus versantur, temporumque meminerint, neque moliantur quidquam unde catholicis periculum creari possit.

115.
PP. Christophorus
Helivodius;
Richardus Fildius,
Henricus
Fitzsimon capti.

His adjutor & rector datus est anno MDXCIX. P. Christophorus Helivodius, Dubrim mercatoris habitu venit, multis gravibusque periculis & insidiis superatis. Sperabat in celebritate ac frequentia tot advenarum illuc undique confluentium latere se posse commodius. Sed per eos dies novum a regio consilio ad omnes portuum, viarum, pontiumque custodes edictum fuerat perlatum, quo jubebatur curare diligenter ut quicumque foris adveherentur, solenne jusjurandum ederent, quod supremæ jurisdictionis appellant. Id sacramentum rogatus Helivodius, sine tergiversatione respondit sibi fas non esse in ea jurare verba, quibus summa in religionem perinde ac rempublicam potestas femina tribueretur. Itaque vinculis constrictus Londinum avehitur. Ibi ardens cupiditate martyrii, se sacerdotem ac religiosum Societatis Jesu, tetra nimirum & capitalia crimina, confitebatur. Miratus alacritatem Robertus Cecilus, Regiæ à secretis & religionis oppugnator acerrimus; Quid nobis, inquit, vestra opera tandem opus est? nonne Christiani sumus? Atqui hoc neutiquam satis est, nisi catholici quoque sitis, subjecit intrepidus sacerdos. Neque vobis satis est, reposuit Cecilus, sacerdotes ac religiosos esse, nisi regnorum quoque tractetis negotia; & in rempublicam gubernandam vestra judicia curasque interponatis. Ego vero, ait Helivodius, istis negotiis nuncium pridem remis; neque, si maxime velim, illis implicare me per instituta mei Ordinis licet. Responsi libertate ac veritate irritatus Anglus, multa in Societatem dixit atrociter, & Helivodium in teterrimum carcerem amandavit. Inde in ergastulum Wisbicense deportatus, in eo quadriennium exegit. Ejus in locum susceptus Richardus Fildius Socii in Hibernia præfuit: homo navus & prudens, cujus ad conciones, colloquia, consilia, cum permisti catholicis heretici passim & schismatici convolarent, perniciosam illi famam conciliarunt: qua exploratores admoniti, capto vincula injecere, cum incautiùs per urbem regni primariam Dublinum incederet. P. Jacobus Arcerus Romam paulo post accitus est à Pontifice, ut eum de statu religionis in Hibernia edoceret. Clemens catholicorum constantia delectatus, P. Ludovicum Mansonium ad eos consolandos legavit: sed rebus brevi pejorem in locum prolapsis, Mansonius obstructos aditus, & bellico tumultu omnia circumstrepere cernens, in Urbem reversus est.

Rediit in Hiberniam Arcerus anno MDCL cum Regis Catholici classe, quæ Hibernis subsidio mittebatur. Ea tamen parum profecit. Expeditionis caput erat, ut in unum copiam omnes tum indigenarum, tum Hispanorum, coirent. Id neficeret locorum intercapedo, & anni tempus hybernium prohibuit. Hispani foris ab hoste & hyeme, intus à morbis obsessi, reddere Kinsaliam, quam primo aditu occupaverant, & honeste pacisci de reditu maluerunt, quam temere ac frustra perire. In Hibernia remansit Arcerus, seque adjunxit aliis quinque Societatis sacerdotibus, qui tunc in ea degebant. Horum unus P. Henricus Fitzsimon, ab exploratoribus Elisabethæ interceptus, Dublinensi custodia tenebatur. Ibi præter asperrimam vexationem, imposita quoque illi calumnia fuerat, quasi religionem catholicam abjecisset in carcere. Hoc ille reliquis tormentis ægrius ferens, summam ædium contignationem ascendit, unde prospectus in subjectam plateam frequenti refertam populo patebat: inde ad multitudinem conversus, calumniam

refu-

refutavit oratione luculentâ. Quin Ericium, doctorem inter hæreticos primæ notæ ac famæ, ausus provocare ad disputationem, quia conferere cominus manum adversarius negabat, libello velut eminus vulneravit. Ultus ille molestum scriptorem est aucta carceris immanitate, cujus ærumnas cum P. Fitzsimon quinquennio toto pertulisset, vindicatus fuit in libertatem, & præmium præclare confessionis exilium tulit, Elisabetha è vivis sublata.

Venerat in Hiberniam cum P. Jacobo Arcero Hispanisque navibus frater Dominicus Colinus, sive Ocolinus, Hibernus. Solent enim Hiberni certarum familiarum nominibus litteram O præfigere, præcipuè nobilitatis notam. Hic, dum Hispani bellum pro catholica religione gerunt, eandem gloriosa nece confirmavit. A parentibus apprime catholicis ad omne pietatis officium institutus, cum atas accessit militiæ matura, transmisit in Galliam, religionis in regno Christianissimo & facilius conservandæ, & armis etiam tutandæ studio. Quippe tunc bellum grave in Gallia gerebatur à Catholicis contra Calvinii discipulos; non jam stilo, ut aliàs, & scriptis; at ferro & acie dimicantes. Eo in bello inter primarios centuriones meruit, ac Fidem Romanam propugnare cœpit, quam armis postea sanctioribus defensus erat. Galliæ bellis feliciter confectis, & Henrico IV. ad avita sacra revocato, Colinus in Hispaniam trajecit incensus militaris gloriæ cupiditate. In regiam classem, & inter primos ejus ductores acceptus, digna suo genere fecit stipendia; & in Coronensi Gallaciæ portu octonos fere annos exegit. Illic adjecit animum impensius ad studia pietatis: vacuusque à bellicis curis, dum fluxarum rerum inanitatem sedulo contemplatur, mortaliam despexit, ut immortalia cœlestis militiæ præmia sequeretur. Hoc animo Societatem expetivit, ejusque infimum optavit gradum, inter illos, qui sacerdotii expertes domesticæ rei ministeriis occupantur. Neque ad eum tamen facile ac statim admissus fuit. Adolescentis ingenium, corporis procæri dignitas natalibus par, & animi quædam elatio, nobilitatis fermè comes, injiciebant metum, ne conditionis in religiosa vita infimæ humilitas constantiam ejus tentaret. Accidit enim aliquando, ut sensim intepescente sacro divini spiritus ardore, quo succensa mens attondebatur ad cœlestia, relabatur humi natura mortalis; & tenebras humilitatis Christianæ, quibus antea gloriabatur, oderit. Hoc metu ducti è nostris nonnulli juvenem hortabantur, ut alium Ordinem religiosum, in quo facilius ad sacerdotium pateret aditus, capesseret. Alii moram ejus petitioni obijciendam censuerunt, ad probandam voluntatem, aut deterrendam. Anno igitur exacto, cum perseveraret nihilominus instaretque, sic est admissus*, ut mensibus aliquot domi nostræ haberetur externo in habitu, necdum in tironum adlectus gregem; ad periclitandam paulisper & experiendam in domesticis laboribus obeundis ejus indolem. Ibi enimvero virtutis egregiæ specimen ingens præbuit; cum collegium Compostellanum populata lues materiam illustrem & laboriosam illius patientiæ & caritati dedit.

Eo perfundus experimento, ac subinde reliquis consimili virtute decursis, vota nuncupavit; visusque jam est operi evangelico maturus: tanta lucebat in eo sui rerumque humanarum despicientia, tantus animi ad summa quæque nati vigor! Ergo impositus Hispanæ classi in Hiberniam solventi, ut erat militarium animorum & operum probè gnarus, facillime classarios, tum in itinere maritimo, tum postquam expositi fuere, tractabat; &, quocumque officia Christianæ pietatis vocarent, ducebat. Id feliciter cum præstaret in arce Dombugensi, ad eam repente hostium religionis acies constitit. Par obsidioni tolerandæ locus non erat, neque à natura neque ab arte præsidioque satis munitus: pacisci placuit honestis conditionibus. Ad transigendum cum obsessores, omnium consensu Colinus deligitur. Quem ubi hostes habuerunt in potestate, fas omne jusque gentium abrupunt; injiciunt illi vincula; oppidanis, præfidiariisque militibus parcunt. Unus è Societate tam nullo negotio captus, satis prædæ, victoriæ satis visus. Corcagiam abductus hæsit in vinculis tres totos menses, carceris ærumnas voluntaria corporis maceratione, assiduisque cum Deo colloquiis leniens. Habent sua statis temporibus Hiberni comitia: in quibus cum publica & graviora disceptantur ne-

§.XI.
DOMINICUS
OCOLINUS MA-
CTATUR.

*Compostelle die
8. Decemb. 1598.
ætat. 31.

116.
Ejus in Societatem ingressus: in morte constantia.

gotia, tùm etiam eorum causæ, qui asservantur in custodiis, cognoscuntur. Indictis per id tempus comitiis præfuit Monsoyus Anglus, Hiberniæ prorex, & Anglici exercitus ductor, idemque catholici Fidei cultoribus infensissimus. Productum ad tribunal è carcere Colinum paucis percontatur: nam in religiosa ejus veste crimen ipsius abundè legebatur, eaque indutus consulto prodierat, nequid alieni criminis sibi dolus vel improbitas adversariorum affingeret. Fatentem ultro, seque catholicum & religiosum Societatis prædicantem, urget prorex, & omnes in partes astutè versat; nunc pollicitationibus, nunc minis quatit. Pectus machinis omnibus inconcussum generosus Christi miles objecit. Alias amici, blandas quidem, at nihilo metuendas minus artes admoverunt; orantes id unum, ut dissimularet. Imò, inquit, quod sum, præ me semper, vel in media nece, feram. Ubi operam inanem sumi vidit Monsoyus, capitis in eum sententiam tulit, & diem qua necaretur, constituit*. Antea tamen cruciatu repetito labefactare invictum pectus, at frustra, tentavit. Quamobrem pridie Kal. Novembr. rapti ad patibulum, inserta collo reste, jussit. Processit Colinus alacer, & è ferali plastro ad circumfusam multitudinem verba, & verbis fidem morte fecit, anno MDCII. ætatis XXXV. Societatis initæ IV. Dissectum, avulsis præcordiis, corpus catholici per noctem in vicino sacello terræ mandarunt.

* 31. Octobr.

117.
In Hibernia
mores emenda-
ti.

Quam gloriosa nece religionem Colinus testabatur, eandem catholici moribus, ac vitæ integritate comprobabant; auditique sunt hæretici cum faterentur, paucorum Ecclesiæ Romanæ sacerdotum operâ totam insulam expurgatam vitii, & meliorem in statum repositam fuisse; Hoc uno argumento, nisi eos malitiâ excæcasset sua, videre poterant ab utrâ parte Fides vera staret. Non aliis fuit opus miraculis; etsi alia quoque non defuerunt, ac manifesta pluribus in locis documenta cælestis iræ: quibus tamen deterriti non sunt Numinis contemptores, quin promulgarent Dublini edictum atrox in catholicos. Illi verò ardore novo pietatis inde concepto, frequentius quàm antea convenerunt ad sacras conciones, & divina mysteria privatis in ædibus usurpanda: nec dubitarunt aliquoties testimonium religioni tribuere amplissimum & verbis & factis. Patritius quidem Mapersus, cum Vicecomitis iniret munus (sunt illi prætoris assessores & legum administri) non modo impium edere sacramentum recusavit, sed etiam proregem, cancellarium, proceresque ceteros ad valvas hæretici fani persecutus obedientiæ civilis causa, ibi constitit: neque ullis conviciis ac minis, ut ingrederetur moveri potuit. Magistratu spoliatus graviores pœnas effugit latebris, in ejusque locum sartor è Protestantium fece subrogatus est. Quantum lucri factum sit in moribus emendandis conjici etiam potest è regionum administratorum & libellionum querelis, lamentantium frigere judicia, inanem litium curiam, nihil è foro lucri fieri: quia nimirum nullæ inter catholicos rixæ, aut, si qua oriebatur, amicorum arbitrio statim erat composita. Quin etiam, si qua forte uni cupiam illorum irrogata fuerat à magistratu multa propter officium aliquod Christianæ pietatis, hanc inter se se alii partiebantur ex æquo, ut ad omnes & pœnæ meritum, & caritatis gloria pertineret. In hortis patentibus dicendum sepe fuit, ut multitudini satisfaceret: neque suus concionem ullam fructus, ac memorabilis, lectus non est. Non enim ad inanem pompam compositus sermo mulcendis auribus dabatur, sed cum vitiiis gravioribus quasi manus conferebantur.

118.
Concordiæ inter
catholicos fo-
vendæ cura.

Ita pietatem alebant viginti homines Societatis per insulam sparsi, exiguus numerus pro catholicorum concursu & studio. Convenerant per sacrum tempus Dominici Adventus ad sacerdotem ferè quingenti. Metum incussit turba, qua latere diu satellites ubique in insidiis collocatos non poterat. Omittere metum jubent plurimi nobiles, qui aderant; simul delectam vigiliam imponunt iis locis, per quos iter exploratoribus esse poterat, ut si quid ingrueret periculi maturè præmonerentur. Hac alacritate latus sacerdos in concionem prodit, ac sermonem de novissimo judicio produxit ad tres horas, nemine non attentissimo, plerisque etiam ubertim collacrimantibus. Sed nihil apertius divinæ gratiæ vim demonstrabat, quàm publica & constans flagitiorum emendatio, quorum veniam à conferta multitudine suppliciter postulare fontes non erubescabant, ac polli-

119.
Viginti Socie-
tatis sacerdotes
per Hiberniam
sparsi rem ca-
tholicam bene-
gerunt.

polliciti meliora, promissorum fidem splendida morum mutatione sanciebant. Iidem labores repetiti sunt anno MDCXIII. iidem collecti fructus, eò etiam uberioribus quòd aucta sex operariis Hibernica Missio fuit. Sed illorum ardentibus ad juvandas animas studiis moram injecit asperitas temporum. Si quis Romani sacerdotis ministerio contraxisset matrimonium, si baptizasset infantem, hac poena multabatur ut frequenti mercatu staret per biduum in medio foro sola tectus subucula: tertio autem die veniam à populo publicè in templo postulare. Inventum etiam illud in Comitatu Dublinensi, ut quater anno quolibet catholici vocarentur in jus, ut eorum Fides novis artibus tentaretur, aut novis suppliciis torqueretur. Piget omnia referre quibus id agere videbantur vexatores religionis ut mortalibus non tantum cœlum, sed ipsam quoque terram eriperent. His in angustiis latendum Sociis, aut ultro citroque fugiendum fuit. Unus per eam occasionem trajecit in Scoticas insulas, ibique rem Divinam fecit, qua populus catholicus ab annis quinquaginta caruerat, ac necessariam gravissimis animarum vulneribus adhibuit medicinam. Aflavit hæc Reginæ satellites fama. Redeunti in Hiberniam insidias struunt: quas ut declinaret, in ultimos provincie fines abscessit, seu potius à Numine deductus est, ut salutem plurimis afferret. Inter ceteros ministri hæreseos filius combustis pravæ doctrinæ codicibus, Romanam est amplexus Fidem, ac docendis publicè puerulis operam ultro suam addixit, ut quam perniciem viris attulerat, puerorum saltem pia institutione sarciret. Puellis eandem præstitit operam femina, quæ dynastæ liberos educaverat, iisque cum lacte virus hæreseos instillaverat.

Hactenus nemo Societatis sacerdos inire Corcagiam ausus erat, quæ primaria est Comitatus cognominis civitas, aut ibi consistere potuerat; ubi scilicet provincie præses degebat, ubi regium consilium, & doctores Calviniani permulti. Refracta sunt omnia denique repagula. Sacerdos impavidus, contempto periculo, urbem ingressus, catholicos certiores de suo adventu fecit. Ad illum in editiora domorum cenacula; per obscuram noctem omnis ætatis ordinisque cives confluxerunt. Ab urbe percurrit in vicinos pagos, ubi tanta mortales incultos obsidebat incertitia, ut non pauci annos ipsos septuaginta, & plures, nati signum crucis ducere manu nescirent, ac prima elementa Dominicæ preceationis appellarent. Fuit qui accedentem ad epulum cœleste turbam temerè secutus, cum ceteris accumberet. Huic porrecta hostia sacrosancta ore excidit. Sacerdos casu factum ratus, Divini panis particulam colligit, orique rursus infert: rursus excidit. Idem cum tertio tentasset, nunquam, hianti licet apertoque, ori potuit inseri. Attonitum ac trepidantem interrogat num conscientie labes sacramento deterferit. At ille quasi ad rem inauditam aures arrigens, negat se scire quid sacramenti hoc sit: & annos quadraginta jam expleverat. Dimissus, ut per otium erudiretur, postquam totius vitæ delicta explicuit sacerdoti, ad sacram mensam impune, nimirum veste nuptiali ornatus, accubuit. In Momonia orientali & diocesi Dublinensi, vicinisque locis, major copia sacerdotum, atque adeo cœlestis doctrinæ lux uberior: quamvis non deessent solita pericula, & ærumnæ, in quibus fortiter ferendis eluxit non modo virorum constantia, sed etiam puerorum. Erat pseudoarchiepiscopo Dublinensi filius. Is catholicam religionem colebat, patre vel inscio, vel dissimulante. Accusatur impietatis. Judices sciscitantur cur parenti morem gerere abnuat, nec sacris cum illo iisdem utatur ac templis. Tum adolescens, veniam, quòd liberè loqueretur, præfatus; Parens meus, inquit, patris sui, avi, & majorum vestigia Fidemque deseruit: boni consulite, si ejus vestigia non sequor. Repetat avitam religionem, filium habebit obsequentissimum; quandiu exemplis ejus regor, succensere mihi nequit. Judicibus, quod responderent, nihil fuit. Ad ejus patrem (nam inter ipsos sedebat) conversi, graviter cum eo questi sunt, quòd tam male liberos suos erudiret.

Hoc pueri facinus præclarum: isthuc viri. Erat inter inquisitores examinandis catholicorum causis præpositus in Comitatu Tiperariensi catholicus, regis administris plus æquo indulgens; & in pios, quorum deferebantur nomina, pænè crudelis: metuens videlicet, ne se proderet intempestiva lenitate, agnitumque

illo-

120.
Corcagia, &
vicinus ager ex-
cultus. Catholi-
corum constan-
tia.

illorum aleam & infortunia subiret. A sacerdote Societatis reprehensus semel iterumque; ab illo demum exclusus ad sacra, & proborum communione prohibitus est. Humanum timorem divinus vicit. Supplex sacerdoti se sistit; orat veniam, ac meliora spondet. Haud minor fuit in præstanda emendatione, quam in promittenda, fides. Catholicorum paulo ante vexator, jam patronus, illorum causas contra vim & avaritiam acerrime tuebatur. Miratus mutatum hominem regius prætor interrogat, num idem ille sit Regi nuper tam fidus. Imo, inquit, ille sum Deo perfidus, dum Regi nimium esse fidus volui. Idem, aliusque sum; delictum agnosco & detestor: vosque catholici, qui adestis, precor ut ignoscatis dolenti & fatenti reo. Perculit libera vox prætorum: diris hunc & universos Romanæ Fidei cultores devovet, illique vadimonium ad supremi tribunalis iudices obeundum certa die constituit; quorum sententia graviores pœnas dederet. Sed eum beata mors, velut appellatione ab iniqui edicto iudicis interpositâ, vadata est ad summum iudicem, à quo præmium defensæ veritatis acciperet. Vix enim è conspectu discesserat, cum correptus morbo, sacramentis munitus, & gloriosa Fidei professione lætus, vivere desit. His exemplis catholicos Deus confirmabat: interdum etiam prodigiis. Imbres continui spem messis ademerant. Tristes coloni sacerdotem Societatis adeunt. Ille supplicationem indicit in proximam diem. Procedunt, & particulam adorandæ Crucis, ac divorum sacra pignora circumferunt. Fugere nubes, rediit sol, & æstivus calor spem messis prope perditam excitavit. Anno MDCXV. sacerdos Societatis maritimam oram pererrans in triginta jam grandes natu viros, ex iis qui Scoti Hibernici vocantur, incidit. Orabant baptismum, affirmantes nullum apud se sacerdotem, ac ne ministrum quidem hæreseos esse, qui natos infantes ablueret: se tamen à catholicis quibusdam audivisse sacramentum hoc ad salutem esse necessarium. Pater incitiam miserorum & solitudinem miseratus, doctrina salutari præparatos fonte sacro lavit. Eidem plagæ septentrionali destinatus erat P. Nicolaus Nugentius, è Lusitania nuper delatus in Hiberniam navigatione difficili. Egressum navi excepit vir nobilis ipsius propinquus: apud quem dum longiorem trahit moram, catholicis ad oblatum ex improvise sacerdotem accurrentibus, gliscente rei fama comprehensus Dublinum perducitur. Ibi à prorege ceterisque regni moderatoribus interrogatus, ita candide modesteque respondit, ut nihil sit inventum, in quo dentem figeret iudicum severitas. Quare in carcerem conjectus est, in quo saluti multis fuit.

121.
P. Nicolaus Nugentius in vincula conjectus.

S. XII.
AD TUTANDAM
IN ANGLIA RELIGIONEM ERIGUNTUR SEMINARIA.

122.
Seminarium
Anglorum Hispanense: Hibernorum Salmanticensis, & Olisipponense.

* Anno 1589.

LABORANTI per Angliam, Scotiam, & Hiberniam, Religioni succurrere non tantum per se ipsi Societatis homines studuerunt, verum etiam per sacerdotes in Seminariis institutos, & ad omnem juvandarum animarum artem informatos. Erecta primum fuerunt illa Seminaria in Belgio, Duaci; in Gallia, Remis & Augis; in Hispania, Vallisoleti; in Italia, Romæ. Aucta sunt eadem & amplificata his postremis Aquavivæ temporibus. Ibat Hispali anno MDXCI. Robertus Perfonius, & è Vallisoletano Seminario secum ducebat octo sacerdotes, emenso studiorum curriculo jam idoneos qui transmitterent in Angliam. Subsistere paulisper Hispali coacti sunt, navis opportunitatem præstolantes, non tamen otiosi. Nam repertos in classe regiâ captivos, populares suos, ita cœperunt excolere, ut statim octoginta, mox etiam plures ad ejurandam hæresim adduxerint: quo specimine caritatis & industriæ magnum sibi conciliarunt Hispanensium favorem. Erat inde non procul vetus templum Divo Georgio martyri sacrum; olim, dum religio staret in Anglia, celebratum ab Anglis, hanc in urbem commercii causa commeatibus; desertum postea & incultum. Illud Perfonius ab Hispanensi Cardinali Roderico de Castro, & Methinæ Afidoniæ Duce impetravit, & Anglorum catholicorum stationem in ea quoque civitate collocavit. Eam Annæ Spinosiæ liberalitas, ejusque fratrum Petri Turrii & Joannis Castellani majorem in modum auxit ornavitque. Philippus quoque II. probè intelligens quanta in religionem utilitas è Seminariis redundaret, eadem tueri & amplificare pergebat. Cumque anno MDXCII. Vallisoletanum Anglorum nuper à se * conditum inviseret, adeo delectatus est illorum ingenio, indole liberali, eruditione, ac tota Seminarii discipli-

sci-plina, ut Hibernis quoque domum ponere Salmanticae instituerit. Hiberni complures Vallisolerum confluebant ab aliquot annis, hæresim & patriam fugere coacti. Vicatim obibant urbem, vitam & studendi laborem stipe corrogata ægrè tolerant. Vidit hoc sacerdos grandævus Thomas Vitus. Unum sub tectum collegit præclaros exules, & aluit tantisper, dum aliqua spes rei melioris affulgeret. Venit ipsi in mentem illos omnes ad Philippum Regem deducere in regiam S. Laurentii villam. Deducit. Oblatos Rex bonis verbis, & lauta etiam elemosyna est profectus. Non contentus eo Vitus, illos iterum Philippo supplices sistit; domum & vestigal orat, exoratque. Salmanticam jubentur proficisci: conditur Seminarium, ejusque cura Societati demandatur. Thomas, ubi suum illud agmen in manibus Patrum deposuit, ipse Societati, quod jam dudum habebat in votis, se se dedit. Alterum iisdem Hibernis positum est Seminarium Olisippone Anno MDXCIII. Ibi degebat P. Joannes Houlingus Hibernus; & quam poterat operam navabat popularibus suis, cum Olisippone, aut religionis ergo profugi, aut capti à prædonibus, advehebantur. Aliquot ex Hibernia naves portum subierant ineunte anno MDXCIII. Continuo advolat, majori studio, quam institor quilibet avidus lucri. Enimvero quas unicè vestigabat merces invenit, catholicorum ingentem numerum; qui ab Anglorum præfectis vexati, tranquillum exilium, perturbata patriæ; & curam Fidei retinendæ, fortunis patri-moniisque servandis, prætulerant. Excepit illustrem turbam, crudivit, mysteriis expiavit; è vectoribus etiam hæreticos quinquaginta, & in iis magistros navium quatuor, Ecclesiæ redonavit. Sed nihil æquè illius vel dolorem accendit, vel curam juvandi & solitudinem stimulavit, quam conspectus adolescentum plurimorum; qui tenella in ætate, parentibus, patria, opibus relictis, ex academia Dublinensi profugerant. Hanc olim academiam à Romanis Pontificibus institutam, deinde temporum injuriâ collapsam, Elifabetha nuper instauraverat, eo consilio ut esset in Hibernia propugnaculum erroris & simul armamentarium: invitaverat parentes, etiam catholicos, ut eò liberos mitterent, erudiendos gratis & alendos. Ea spes orthodoxos aliquot allexerat, quibus frigidior caritas, & res familiaris angustior. Sed liberi, parentibus sapientiores, magistros exosi lupos, scholam erroris unanimes consensu deseruerant; & ad littus ignotum adve-ti, rebus omnibus destituti confederant. Fecit Houlingi sedulitas ut in exilio patriam, parentes, & fortunas quodammodo recuperarent. Huc omnes curas cogitationesque contulit, ut primò certum larem ejectis errantibusque conquireret: deinde ut iisdem meliorem academiam Olisippone conderet, insignitam Sancti Patritii nomine: excitationis ad opus egregium civibus præcipuis; qui dum corporibus alimenta præbent, ipse animarum curam gessit.

Eodem anno MDXCIII. ejusdem Philippi munificentia constitutum est Audomaropoli Anglicanum Seminarium. Jam pridem id agebat Personius, ut Anglicæ juventuti sedem aliquam in Belgio, Angliæ vicino, reperiret: præsertim ex quo Seminarium Augense, in limite Normanniæ positum, eadem cum Guisitis conditoribus suis ruina conciderat. Rogavit Philippum, cujus tam multa jam exstabant in Anglos Hibernosque beneficia, ut hunc suæ liberalitati cumulum adderet. Annuit Rex, & censum alendis sexdecim minimùm pueris assignavit. Gratias ingentes egit Personius, & S. Audomari Fanum elegit, urbem Belgii, sitam haud procul Calecto, Gravelinga, & Dunkerca; unde brevis & frequens tractus in Angliam. Austum brevi Seminarium est numero lectissimæ juventutis; ejusque nomen omnium fama & approbatione percrebuit, propter eximiam alumnorum eruditionem ac pietatem. Non desuere gravissimæ difficultates, ut rerum optimarum principia fere sunt ardua; sed eas Personius felici constantia superavit, misso cum amplissimis Philippi ad regios in Belgio administratos litteris, P. Henrico Walpolo. At Scoticum Seminarium, quod P. Critonii cura Duaci collocatum*, ibique per P. Hippolytum Curlaum, Scotum, quasi fundatum de integro fuerat, Lovanii, ut in quietiore à bellis loco, positum est anno MDXCVII. Postea tamen, sedato bello, Duacum remigravit. Ibi selecti juvenes litteris excoluntur & moribus, eorumque multi quietum religiosæ vitæ portum subeunt; plurimi sacris Ordini-bus

123.
Anglicanum
Seminarium Au-
domaropoli:
Scoticum Duaci
positum.

* Anno 1593.
Supra. n. 103.

dinibus initiati, & in patriam reduces, eruditione præclarisque laboribus catholicam inter sævas hæreseos procellas tutantur Fidem. Quo ex numero, dum hæc scribimus, nostra Societas amplius quadraginta strenuos operarios habet, omnes hujus Duaceni Seminarii quondam alumnos. Adde tot nobiles adolescentes, qui pietate diligenter imbuti eandem propågant in familias, quarum deinde capita sunt, & Christi bonum odorem singulari morum probitate, nec minori religionis gloria, late spargunt.

§. XIII.
TURRE AB HÆ-
RETICIS IN RO-
MANO ANGLIO-
RUM SEMINARIO
CONCITATÆ.

FLOREBAT Romæ Anglorum præ ceteris Seminarium, cum ejus tranquillitatem quorundam alumnorum pervicacia, & intestinus veluti tumultus perturbavit. Domesticarum ejusmodi seditionum, quæ identidem in Anglicano Romæ Seminario contigerunt, causas altius repetere non erit alienum: quas annis superioribus video prætermittas, aut strictim indicatas. Non enim puerorum illæ duntaxat molitiones fuerunt, ut prima fronte intuentibus apparet, aut Romæ primum nata. Illos quoque fetus hæresis fuisse, hæc ad excidendam in Angliæ religionem, consilia ex intimo Elisabethæ artificio deprompta, facile perspicitur ex iis quæ modo referentur. Ubi revocatam & regnantem cum Elisabetha hæresim complures Angli sacerdotes doctrina & pietate præstantes conspexerunt, in Belgium, Galliam, & Hispaniam ultro se receperunt; ut eruditissimis lucubrationibus exagitatam impie religionem liberius tutarentur, simulque illius in patria retinendam rationem inirent. Nulla occurrit commodior & certior, quàm si permultos egregiæ indolis juvenes, qui pariter ex Angliâ profugerant, colligerent, formarentque ad studia pietatis ac litterarum: ut initiati deinde sacris Ordinibus, revertentur in patriam, atque hæresi bellum clam, palam, feliciter inferrent. Hanc ipsis mentem divinitus injectam fuisse cum exitus comprobavit, tum etiam Daniæ ac vicinarum calamitas regionum persuasit, quæ pastoribus extinctis, sacramentorum ac divini verbi præsidio spoliata jacent. Inter Anglos sacerdotes, revocanda in patriam religionis cupidissimos, ceteris prælucebat non modo splendore generis, verum etiam eruditione, Guillelmus Alanus, Eboracensis ecclesiæ canonicus. Ab eo conditum est Anglorum Seminarium in urbe Duacena anno MDLXVIII. Inde statim prodire doctores & martyres, qui patriam verbo, moribus, nec, in Romanæ fidei obsequio confirmarunt. Sensit Regina Ietiferam, quæ insurgebatur falsæ religioni, plagam. Natum in hæreseos perniciosi Seminarii evertere properavit. Alanum Duaco, adjuvantibus novarum opinionum in Belgio architectis, exturbat cum suis alumnis. Aliud igitur illi quarendum exilium, alia sedes fuit. Hanc Remis, in urbe Galliæ, patrocinium Guisfordum Principum obtulit; ac brevi coaluit Seminarium Remense: nec ita multo post erectum Romæ collegium Anglorum munificentia Gregorii XIII. Pontificis Maximi, studio ejusdem Alani, nec non Audoeni Ludovici, pariter Angli, tunc Archidiaconi Cameracensis, postea Cassanensis Episcopi.

* Anno 1577.
* Hist. Soc. Parte
IV. Lib. VII. n.
15.

124.
Elisabethæ artes
ad excindenda
Seminaria.

Obstupuit Elisabetha tot adversus Anglicanam novitatem extructas paucis annis arces: omni ope ad eas dejiciendas incubuit. Immisit impios veteratores, qui à Seminariis adolescentes abducerent, aut in eadem receptos depravarent: veneficos, qui pestiferis artibus valetudinem ipsis ac vitam eriperent. Baynus quidam inter ceteros id sibi sumpsit, ut in Remense Seminarium admissus Guillelmum Alanum ejus præsidem veneno tolleret, id quod ipsemet postea captus & conjectus in carcerem, ultro confessus est. Cum nihilominus ea ratione lenius ac lentius Elisabethæ consilia procederent, editis acerrimis id agere studuit, ut aditum in Angliam sacerdotibus à Seminariis schola profectis intercluderet. Promulgata in eos graves pœnæ, tanquam in perduelles, & manifestos Regine regni prodores. Ad extremum supplicia Diocletianis olim ac Decii familiaria novis & inusitatis cumulata. Stetit catholicorum sacerdotum, hausta in Seminariis, Fidei constantia eo erectior, quò majori pondere premebatur. Invenit artem Regina, in religionis perniciem sagax, veneficis omnibus & suppliciis potentior. Iis ipsis uti Seminariis ad everrenda Seminaria decrevit; serendo discordias; sacerdotes sacerdotibus; juventutem Anglicanam suis moderatoribus opponendo. Supererant adhuc antiquiores quidam in Angliâ presbyteri, qui sub

Maria

Maria Regina floruerant, cum restituta per eam Fides catholica paululum respiravit *: quos Marianos idcirco dixere. Hos dedita opera fovit Elifabetha, & immunes earum legum ac poenarum esse voluit, quæ Seminariorum alumnis erant propositæ. Apparuit extemplo pestilentis consilii virus. Mariani quippe sacerdotes reliquos è Seminariis advectos in Angliam cœperunt tanquam æmulos importunos infectari, & expellere: soli catholicorum domos tenere, ac dominari velle. Vidit hoc Alanus, videre Societatis Patres, quibus Anglicani Romæ collegii cura commissa per Pontificem paulo ante fuerat. Senferunt extinguendam brevi religionem in Anglia, extinctis nimirum senibus illis sacerdotum Marianorum reliquiis, & Seminariorum alumnis accessu adituque patriæ prohibitis. Itaque Societatem in Angliam inducere statuerunt: quam ipsi sacerdotes Angli, olim in Seminariis educati, quique tunc in Anglia versabantur, subsidio vocabant. Nec suam illis operam negare potuit Societas, quos Romæ, quos aliis in locis, tam feliciter ad pietatem & litteras informaverat. Instituta est Anglicana Missio *: communibus votis ac studiis in vinea Domini laboratum.

* Anno 1553.

* Part. IV Lib. VIII. n. 26. & 82.

Non omisit solitas artes Elifabetha. Curam ad Seminariorum alumnos cum Societatis Patribus committendos collidendosque vertit: ut mutuis odiis distracti ac depugnantes conciderent: aut saltem ut divisos facilius frangeret, quos evertere conjunctos non poterat. Certos igitur homines * in Hispaniam dimittit, qui juvenes Anglos alienarent à Societate: qui eos conturbarent in Seminariis, ibi Regis Catholici liberalitate florentibus; aut ab iisdem avulsos in D. Benedicti novum Ordinem inducerent, quem odio Societatis, ac novitatis studio inficere tentabat; quo consilio hunc Ordinem religiosum reipsa unus ex illis exploratoribus * est amplexus ad breve tempus, per impiam simulationem: alter in Angliam reversus, quæ de catholicis sacerdotibus noverat, Elifabethæ satellitibus aperuit. Eidem negotio, nimirum alendæ discordiæ, præfecit Regina Carolum Pagettum nobilem Anglum; & Thomam Morganum item Anglum, ingenii perspicacis juxta & inquieti, maximè autem ab Alano averfi, à quo se minus honorificè tractatum olim existimabat. Quare, ut illi ægre faceret, totum se dedit ejus æmulo Audoeni Ludovico; inter quem & Alanum nescio quid offensionis ac simultatis ortum erat. Molestè ferebat Audoenus datam Patribus Societatis, adnitente Alano, collegii Anglorum in Urbe administrationem; & ab ea remotum * doctorem Mauritium Klenokium, cui unicè favebat: nec non dimissum ex eodem collegio fororis suæ filium, tanquam pacis domesticæ perturbatorem: denique omnia, quæ ad rem Anglicam pertinerent, uni Alano deferri querebatur. Latere ac tegi non potuit hæc ab Alano Audoeni alienatio: ad ejus etiam amicos tacita contagio permanavit. Brevi conflata quadam est Anglorum coitio adversus Alanum & Patres Societatis ipsi conjunctissimos; pervasit Angliam; in Galliam & Belgium usque proserpsit. Romæ radices egit altiores, ubi adolescentibus, qui alebantur in Seminario, promptas aures ac patrocinium præbebat Audoenus, si quid de Alano & Patribus quererentur. Hinc illæ lites exortæ sub Sixto V. de quibus ad annum MDLXXXV. historia nostra meminit *.

* Singletonum & Parreum.

* Singletonus.

* Hist. Soc. Part. IV. Lib. VII. n. 17. 29.

* Num. 30.

Tam præclaram occasionem elabi nequaquam passi sunt Elifabethæ administri. Franciscus Walsinghamus, Regina ab epistolis & interioribus consiliis, idemque catholicorum professus hostis, Gilbertum Giffordum, Guillelmum Giffordum, & Eduardum Gratleum, Anglos Audoeni addictos, promissis allicit ad ventilandum hoc incendium: subministrat pecuniam, qua plurimos in suas partes trahant: submittit ex eadem factione alios in Flandriam, alios in Germaniam, qui eisdem spargant faces; quosdam in ipsa Seminararia curat admittendos, lupos ovium pelle rectos: omnibus persuadet ut Alanum Patresque Societatis non dubitent infamare suspicionibus movendis, jactandis contumeliis, sceleribus imponendis, scriptis denique maledicis proscindere: id quod Gilbertus Giffordus, & Eduardus Gratleus gemino volumine tunc edito, & eorum gregales disseminatis per totam Europam epistolis, quæ etiamnum exstant, & libellis præstiterunt. Hujus porro turbatores inter & Walsinghamum commercii sequester atque interpretas erat Salomon Alredus, catholicus Anglus, qui sarcinatoris artem in Gallia, Lugduni

I 25.

Discordia Seminariorum alumnis injecta.

facitaverat. Inde Romam veniens, Audoeni liberalitate sustentatus, & in Angliam negotii causa missus, ab eodem Walsinghamo ingenium hominis odorato, Romam remissus fuerat, cum grandi pecunia: ut aureis vinculis quoscumque posset Regina devinciret. Tantamque auctoritatem largitionibus ac fidem collegerat homo ceteroquin obscurus, ut nemo ad depravandos juvenum animos majorem vim habuerit, Commeabat identidem in Angliam, ut Walsinghamo catholicorum consilia, quæ illi per hanc insidiosam liberalitatem ac beneficentiam patebant, referret. Detectus denique ac pœnam timens profugit ad eundem Walsinghamum, & in ejus familiam adscriptus hæresim publicè professus est. Earum rerum famâ Romam perlata conquesti proditores: comprehensi Gilbertus Giffordus & Eduardus Gratleus. Fessus est Giffordus eò spectasse sua cum Walsinghamo consilia, ut Societas ex Anglia eiceretur: eamque ob causam ad eum navigasse, ut ipsi viam perficiendæ rei commonstraret. Captis discordiæ concitoribus præcipuis, & Alano sacra purpura ornato, quievere paulisper factores discordiæ. Nec parum valuit ad fovendam pacem ira Numinis justa, & perspicuis declarata signis adversus concordiam hostes: quorum alii luctuosos exitus vitæ fortiti, alii etiam à Fide catholica defecerunt. Nihilominus, ut vivacia manent similitatum semina, & facile, quamvis obruta & sepulta, progeminant; non tam cito extirpari seges infelix potuit. Hanc intulit in carcerem Wisbicensem Christophorus Bagshaus*; eadem, Blakuello Archipresbytero, ut narratum est, creato, in Anglia repullulavit: illustri documento, nullos hostes æque metuendos esse viris etiam probis, quàm ipsos sibi, cum abest concordia; quæ rerum bene constitutarum stabile vinculum est*.

* *Infra. n. 127.*

* *Quod est vinculum perfidionis. Coloss. III. 14.*

** *De Alano Viti de Jan. Xij. Eryt. Præac. To. I. n. 49.*

126.

Turbarum in Romano Anglorum Seminario causæ, remedia, &c.

Quod attinet ad alumnos Romani Anglorum Seminarii, eos Alanus, dum vixit, auctoritate sua & prudentia in officio continuit. Post ejus obitum qui anno MDXCIV. in XVII. Kal. Novembr. incidit**, veteres moverunt querelas; ac postularunt ut Audoeno amplissima in Seminarium potestas, atque adeo in Anglicana religionis negotia, demandaretur. At Pontifex procuracionem hanc, & potestatem censuit eripi rectè non posse Cardinali Caetano Angliæ ac Seminarii patrono. Audoeno extincto pridie Id. Octobr. MDXCV. novas exposulandi de Patribus Societatis causas invenerunt. Querebantur asperiores esse domesticam Seminarii disciplinam, quæ grandiores adolescentes minimè deceret; multo vero minus sacerdotes, quales erant ipsorum plurimi. Præterea, reditus à Gregorio Pontifice concessos impendi perperam, ac nullo pæne fructu. Interior alia quædam latebat causa. Plerique ferebant permolestè quod, ut auctor P. Perlonius fuerat, promittere alumni omnes juberentur, etiam interposito jurejurando, nihil futurum in se moræ quominus sacris Ordinibus initiati redirent in Angliam, juyandæ rei catholicæ gratiâ, quando Pontifici videretur. Hæc eos lex, inquam, & conditio, maxime si qui solutiores erant, male habebat; ob eamque recusantem, dimissi fuerant aliqui. Complures id genus querimonias ad Clementem VIII. detulerunt mense Maio anni MDXCVI. atrocissimo libello adversus Præpositum Generalem & Patres Seminarii moderatores conscripto. Pontifex Bernardino Moræ, Secretario, ut appellant, Congregationis familiarum religiosarum causis præpositæ, dat negotium, ut illicò de re tota cognoscat. Conjuracionem ille puerilem ac proterviam deprehendit. Quia vero, cum verecundiæ frenos abruptis semel impatiens jugi adolescentia, coerceri nisi remediis acrioribus nequit; primum omnium censuit alios ab aliis secernendos, & in separatis habendos cubiculis; tum ut ne integri à deterioribus promiscua consuetudine depravarentur, tum ut amputaret coitiones quæ facile inter multos, collatis capitibus, existunt. Durissimum id factiosis accidit, qui consilium ejusmodi à P. Edmundo Harewoldo profectum arbitrati (secundum is à rectore locum obtinebat in Seminario) ut amoveretur petierunt adeo procaciter, ut de abdicandâ Seminarii curâ Societatis Præpositus deliberaret. Sed vetuit Pontifex; & Aquavivam ad onus istud æquo animo ferendum, ac juveniles æstus, donec tempore ipso deserbuissent, tolerandos cohortatus; jussit inspicere Seminarium (quoniam ejus patronus Cardinalis Caeta-

Caeta

Caetanus aberat) à Cardinali Philippo Segâ, & auctoritate Apostolica pacari. Comperit Segâ nonnullorum hominum, quos hic appellare necesse non est, instinctu adolescentibus adversus Societatem stimulos fuisse: alieno enim consilio ferme regitur juvenus, cum careat per atatem suo; & rudibus animis annisque deteriora consilia tenacius adhærescunt. Laxari arctiorem, quæ semper in Seminario floruerat, disciplinam cupiebant: præfectos cubiculorum, itemque confesarios, è suo sibi numero ac natione dari; lautius indulgentiusque tractari. Obiciebant nostris dominandi cupiditatem, qui Anglos omnes sacerdotes suas in leges adigerent: idque in carcere Wisbicensi nuper patuisse prædicabant. Cum cetera facile purgabant Socii, tum ad carcerem illum Wisbicensem quod spectat, allatæ sunt etiam Anglorum hoc ipso tempore litteræ complurium, quæ Patres omni culpa liberabant. Quis fuit ille carcer, quid ex illo in nos constat, invidia, quia jam ab aliis susus * expositum est, paucis exequar.

WISBICI carcer in Anglia erat, quemadmodum aliàs diximus *, locus teter & horridus, in quem conjecti fuerant sacerdotes catholici bene multi; ut loci squalore, & gravitate cœli, occultius perirent. Subiit in eundem locum tetrius omnibus ærumnis malum, Discordia. Illam invexit præcipuè Christophorus Bagshaus, olim propter indolem asperam & inimicam pacis è Romano Anglorum Seminario dimissus; deinde cum in patriam rediret captus, & ab arce Londinensi ad hanc Wisbicensem custodiam traductus. Ibi, motâ rixâ, catholicus nescio quis * sacerdotem palam graviterque percusserat. Hunc sancita per canones sacros pœna teneri; communicæ consortio, donec absolveretur, arcendum sentiebant ceteri, præsertim P. Guillelmus Westonus; qui se Edmundum Westonum, in gratiam & honorem Patris Edmundi Campiani, vocitabat. Dissensit acriter Bagshaus & alii, principio pauci, mox plures; ut fieri vulgo inter altercantes solet. Accessit ad eorum sententiam carceris præfectus, homo hæreticus, & Bagshaus suffragatus est; idoneus videlicet ejusmodi causæ arbiter. Solutus ab eodem idcirco custodiæ rigor, perque illam licentiam catholici cum hæreticis permitti, etiam feminis, in gravi animarum periculo versabantur. Timuit Westonus ne reliquos ea labe inficeret, neve improborum approbare delicta videretur; aut certe, ne flagitia paucorum, ad omnium pertinerent infamiam. Ergo quandam vivendi normam descripsit, de sententia illorum, qui adhuc integri & sani restabant omnino decem & novem, e triginta duobus Wisbicensi carcere conclusis. Nemo, qui regulam hanc sequi vellet, exclusus. Addidit quasdam leges, quæ maxime visæ sunt idoneæ ad retinendam pietatem pristinam, & pacem. Dux & moderator qui leges istas tueretur, quæsitus est. Conspirabant omnes in Westonum; repugnabat ipse unus: neque prius flecti potuit, quam ad Henricum Garnetum consignatæ omnium testimonio litteræ sunt perlata. Garnetus votis illorum annuens, id muneris Westono imposuit, ea conditione, ut ceteris superior nec vocaretur nec censeretur; nihilque nisi communibus suffragiis decerneret, in quibus suum ipse haberet nullum. Id ubi senserunt oses pacis, primo Westonum & alios ei conjunctos, è communi triclinio ejecere: deinde minis, terroribus, fannis & obrectationibus, dissipatis ad extremum iniquissimis & falsissimis libellis, pium illud agmen infectati sunt. Nihilominus, cum omnes reducendæ concordie vias tentaret Westonus, placuit, annuentibus etiam adversariis, arbitros deligere, quorum judicio & sententia staretur. Ab iis novæ conditæ sunt leges, acceptæ ab omnibus, chirographo singulorum & nomine firmatæ; confecto duplici scripto, cujus exemplum pars utraque servaret. Sancita sic feliciter concordia videbatur. Sed raro jugum denuò subit, quod semel excussit, licentia. Vix mensis abierat, cum adversarii molestas perfringere cœperunt leges, de quibus tamen ultro consenserant, & se funestam in libertatem vindicare. Instauratæ ab illis continuo adversus alios, qui stare constitutis legibus pergebant, calumniæ: crepta charta, fidei & nominum custos, quæ penes Westonum erat: repetitæ criminationes atrocissimæ; adeo ut non dubitarint illos inita contra patriam conjurationis reos facere: quo nomine Westonus Londinum cum duobus aliis sacerdotibus sub an-

* Daniel Bartol,
Lib. V. cap. 16.

§. XIV.
CARCER VVIS-
BIGENSIS.

*Supra. n. 2.

*Thomas Bluet-
tus.

127.
Per quos indu-
ta in hunc car-
cerem discordia.

num MDXCIX. evocatus fuit, ac novis periculis objectus, usque ad annum MDCIII. quo, Elisabetha mortua, in exilium è durissimo carcere est expulsus.

Interim haudquaquam siluit amator concordiae ac scelerum ultor Deus. Joannes Nordenus flagitiosa turbae antesignanus, qui prolixum jam codicem calumniis referentem confecerat, ac brevi edendum in lucem minabatur, mentem subito cum voce perdidit. Oberrans per carcerem, & amputata quadam verba rationis frugisque expertia balbutiens, deforme per dies aliquot spectaculum praebuit: donec morbo correptus jacuit instar trunci, mutave pecudis: ac nullo bonae mentis, nedum pietatis, indicio dato, periit. Rudolphus Ithel, actor illius tragodiae non ultimus, descivit ad Calvinianos; & apertum catholicis omnibus bellum indixit, qui diu privatam aluerat. Alii discordes inter se ac divisi, foedis accusati criminibus, affecti supplicio, ignominia notati sunt. Quatuor tamen collegerunt se se aliquando, & impium detestati gregem, ad meliores partes tranferunt. Hic ille carcer Wisbicensis est, toties decantatus: illa Westoni ambitio, à Bagshao ejusque amicis, & à variis subinde scriptoribus, in crimen atque invdiam vocata. Quod crimen ut Westonus dilueret, Claudium Aquavivam per literas, & ipsum Pontificem per certum hominem, coactus est docere quas ob causas onus illud, & qualemcumque pii carceris praefecturam suscepisset. Hoc ipsum praestiterunt octodecim ejusdem carceris catholici, sacris omnes, uno excepto, ordinibus initiati, datis ad eundem Clementem ex eadem custodia Wisbicensi litteris, & suo chirographo munitis, sanctè affirmantes delectum à se fuisse P. Westonum, licet reluctantem, ut ejus prudentia regeretur. Hac illa dominandi cupiditas est, quam Romani Anglorum Seminarii Patribus alumni seditiosi objectabant. Eos Cardinalis Sega diligenter auditos nihil afferre deprehendit, quo defendi vel excusari possent*: itaque in Patrum potestate esse iussit, nihilque de pristinis Seminarii legibus videri mutandum Clementi retulit: dimittebantur tantummodo seditiosorum duces; alios ab Anglorum externorum, qui essent in Urbe, commercio & familiaritate arcendos. Hac ille sapienter provisum ne posset exequi morte prohibitus est, quæ virum prudentissimum & gravissimis negotiis integerrimè perfunctum abstulit mense Maio anni MDXCVI.

* In perscripta
Visitatione collegii,
oblata Pontifici 14. Maii
1596.

128.

Anglicani Seminarii perturbatio ingravescit. P. Robertus Personius concordiam revocat.

Ejus obitus animos turbatoribus fecit. Edictum ab illo affixum in aula collegii resigunt, ac discerpunt: constat initio foedus arctius colligant, addito in hæc verba jurejurando, ut qui ab eo recederent foedere, aut ad obsequium redirent, infames ac patriæ proditores haberentur. Profectus in Poloniam erat Cardinalis Caetanus Seminarii patronus. Vicariam ejus tutelam ac patrocinium interea suscepit Cardinalis Toletus, qui dum monstratam à Philippo Sega viam, & à Pontifice probatam, deserit, gravissimum in discrimen rem totam adduxit. Seditiosis ductores placari sensim posse judicans, non dimisit; imo unum ex illis, paci & Patribus infestissimum, praefecit audiendis reliquorum confessionibus: eidem concessit ut litteras daret acciperetque nullo conscio & arbitro, utque hanc scribendi similiter facultatem, cui videretur, tribueret. Rectorem Seminarii P. Floravantium, ut iisdem gratificaretur, amovit; demum impetravit à Clemente VIII. diploma, quo Seminarium Anglicanum omni ex parte eximeretur obedientia, cura, & administratione Societatis; ipsique Toletus, nulla re penitus excepta, gubernandum dederetur. Sed parum in eo certe Toletus, ceteroquin perspicax & acutus, videbat; qui crederet factiones turbasque puerorum, indulgentia & ratione mera posse componi; aut malum rescindi, non praecis fontibus mali. Jamque à Seminario contagies & pervicacia manabat in Societatem; quod Claudius Aquaviva timuerat. Sed ne serperet longius, mors Toleti paucis post mensibus consecuta fecit. Seminarii patronum, Toletus mortuo, Clemens Pontifex Cardinalem Burghesium dixit, Paulum postea hujus nominis V. Eo auctore Praepositus Societatis omnem tam foedi tumultus aliquando comprimendi rationem indagans, Personium ab ultima vocat Hispania: cujus auctoritas apud Anglos magna, experta in rebus gerendis fides, apud Romanos proceres gratia singularis, & probata saepe in tractandis hominum mentibus dexteritas. Nec sua Claudium spes fecellit. Arbitrio Personii causam integram Pontifex permisit, summa ipforum

ipforum alumnorum voluntate. Personius benigne singulos allocutus, & leviora quædam haud gravate concedens, pestem ab ipsis radicibus extirpare aggressus est. Seditiosi agminis duces observans, eos ipforum vestigiis clam persequitur: nec longe est secutus. Die Dominica in duabus cauponis pergræcantes mane deprehensi sunt ab urbanis satellitibus. Unus ex illis sacerdos conjicitur in custodiam: ceteri domum reducuntur, & separatis includuntur cubiculis. Sub noctem Mutius Vitellescus, quem sibi rectorem dari petierant, alios qui domi versabantur, congregat: & sodalium intemperantia graviter *exposita*, Cardinalis Burghesii litteras cum mandatis Pontificiis recitat, quibus vetabatur ne bini domo in posterum prodirent, aut comites eligerent arbitrato suo: tum à Summo Pontifice quæstor assignabatur, qui fontes interrogaret. Producti singillatim sic responderunt, ut Patrum in administrando Seminario patefacerent æquitatem, & multa detegerent, propter quæ gravior ipsis pœna merito decernenda esse videbatur. Sed eam deprecatus enixe Personius, obtinuit ut in alia Seminararia nonnulli dimitterentur, & Roma discederent. Decem in Duacense Seminarium, tres in Hispana procul ablegati. Ea partim severitate, partim clementia reliqui terribit devinctique omnino quieverunt; ac pacatam domum Personius idem complures annos felicissimè gubernavit.

Admonet me hujus Anglorum quasi privata, & Romani Seminarii parietibus circumscriptæ, dissensionis facta mentio, ut nonnihil hic atroxam de graviore & latè per Belgium fuso eorundem Anglorum catholicorum dissidio; quod aliqua ex parte ad quosdam è Societate nostra sacerdotes pertinuit. Erant in Belgio Anglorum ob Fidem exulum quasi factiones duæ: una dicta vulgò Scotica sive, quod Scoti proceres ei faverent; sive, quia id agitabat ea maxima factio, ut Jacobus Scotiae Rex Elisabethæ succederet. Altera dicebatur Anglica, quod ab ea præsertim Angli starent, & quidem sacerdotes eximie pietatis, qui regnum Anglicum tradi maluissent alteri cuiquam Principi catholico, cujus nota jam esset religio ac fides. Habebat eadem addictos sibi nobiles non paucos; Guillelmum Stanleium, legionis Anglicæ pro rege Hispano præfectum, & alios earumdem copiarum ducès; interque ceteros Hugonem Odoenum. Hic Scoticæ factioni cum primis erat invisus; quasi per calumniam & malas artes exitium multis frueret, ac Regis Catholici & Archiducis beneficia, quæ dividere in viros genere ac meritis præstantes debuisset, in homines obscuros, sibi privatim deditos, effunderet. Carus erat Odoeno, ac proinde à Scoticis partibus alienus putabatur, P. Guillelmus Holtus Anglus; qui Audomarensis ac Duacensis Anglorum Seminarii negotia procurabat in Belgio. Illum Scoticæ factionis primores inde amoveri vehementer ab Claudio Aquaviva flagitarunt; per hunc maxime stare causati, ne pax & concordia inter Anglos exules coalesceret. Eundem, tanquam unicum Anglicæ Missionis præsidium, retinere Stanleius, Odoenus, ac Societatis Patres conabantur. Præpositus Generalis Patrem Oliverium Manareum inquirere de illo diligenter, & quæ cognoverit ad se perscribere, imperat. Rescribit virum esse bonum, at ingenii paulo durioris, qui nihil simulare, ac ne dissimulare quidem, nosset: hinc abalienatam nobilitatem: videri amovendum. Contra Holtus reclamabat acriter, & se patrocinio quorundam procerum tutabatur. Invalescebat discordia, neque Albertum Archiducem latere potuit, aut summo mærore non afficere. Ille socium Patri Manareo adjunxit Joannem Baptistam Taxium, qui Regi à consiliis erat, ad pacem communibus consiliis, quam minimo fieri posset strepitu, componendam. Ambo querelas utriusque partis exceperunt. Triginta contra P. Holtum accusationis capita proferebantur. Respondit Holtus, & se extra culpam esse docuit. Rogatus Archidux ut ejus innocentiam testimonio suo confirmare ne gravaretur, scripsit Holtum religiosissimum esse virum, eique impactas ab Anglis aliquibus calumnias nullo fundamento niti. Sic retentus ille tum quidem est in Belgio; monitus tamen ab Aquaviva, ut quam animo insitam caritatem habebat, ore ipso ac sermone promeret; acerbiterque indolis humanitate deinceps & lenitate condiret.

* Obiit an. 1610.
Supra. n. 86.

129.

P. Guillelmus Holtus de quadam inter Anglos in Belgio dissensione infirmatus.

130.
Collegium An-
glorum Leodien-
sienſe.

Novum Angliſ catholiciſ praſidium in Belgio datum eſt anno MDCXII. nova juventuti academia poſita. Ejus condenda occaſio hæc fuit. Jacobus Angliæ Rex, Bancroftii pseudo-Cantuarienſis antiſtitis hortatu, induxerat animum academiã inſtituere, in qua doctores novi evangeliï, ſumptu publico alerentur. Hoc armamentarium volebat eſſe, ubi & arma contra catholicã Fidem procurerentur; & magiſtri erudirentur, qui hæc ſcienter tractare condiſcerent. Jam aſurgebat ædificatio in agro Londinenſi ad villã Chelſæã: jam ex Angliã univerſa novum doctorum agmen ad regale collegium frequentandum concurrerat; cum nobili catholico mens injecta divinitus eſt, ut huic impietati lycæo, gymnaſium pietatiſ opponeret, omnibuſque inſtrueret ſubſidiis quæ ad conferendas cum erroris magiſtris manuſ eſſe neceſſaria viderentur. Certa doſ conſtituta III. Id. Octob. & collegii Anglorum primordia Lovanii poſita ſunt in ea domo, quam tirones Societatiſ incolebant. Bancroftiuſ rem indignè tulit. Mittit apparitorem ex Angliã, qui diem dicat nobilibuſ aliquot Angliſ, Lovanium ad nos è patria profectiſ, imperetque ut quamprimum redeant in Angliã, ſiſtantque ſe magiſtratu: ſi ſecus faxint, fortunis omnibuſ exuendos denunciãt. Hoc metu ſperabat Bancroftiuſ deterrendoſ Angloſ, & collegium recens in cuiuſ extinguen- dum. Spes illum ſua luſit. Hiſpanuſ orator apud Jacobum Regem queſtuſ eſt graviter. Negavit Rex id ſuo juſſu factum. Deprehenuſ apparitor, & Lovanio ejectuſ apparère deſiit. Adelevit interim gymnaſium catholicum. Erroriſ vero academia, mortuo Bancroftio, concidit, naſta dignum auctore ſuo exitum; & in infame luſtrum, ut memorant, converſa. Non ceſſabat nihilominuſ orator Angluſ apud Archiduceſ Belgii gubernatoreſ conqueri, quod Brabantia & Flandria Seminaris catholicorum Anglorum, & collegiis implerentur; quod perduellibuſ receptuſ præberetur, foverentur ſeditioneſ, Angliã in diſcrimen conjiceretur. Id in cauſa fuit cur Lovaniènſe collegium in Leodiènſem urbem immigraverit anno MDCXXII. Attributa fuit illi domuſ *, quam Leodii habitabant Angli tirones, qui Watenas demum, ut olim placuerat, deducti fuere. Porro nemini collegium hoc Anglorum Leodiènſe pluſ debet, quam Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, & Duci utriuſque Bavariz, qui ejus alter parens merito dici poteſt *.

* *Supra. num. 72.*

* *Henr. Morus lib. IX. n. 18.*

131.
P. Jacobuſ Muſſet-
tuſ captuſ,
damnatuſque
liberatur.

Anno MDCXIII. Scoticuſ Seminarium, Duaci poſituſ, valde ornavit liberalitateſ Catholiciſ Regiſ: cujuſ pietatiſ ut nulla præſcriptæ videbantur meta, ſic nulla par commendatio poteſt inveniri. Tanto erat major hujus Duaceniſ domicilii ſtabiliendi neceſſitateſ, quanto acriuſ bellum religioniſ paſſim in Scotia infeſtebatur. Quo in bello dum rem bene ac fortiter gerit P. Jacobuſ Muſſettuſ incidit in manuſ Gladſtanſi. Erat ille pseudoarchiepiſcopi Andreepolitani filiſ & impoſitaſ à patre liſtoris parteſ atque exploratoriſ non ſegniter obibat. Ab eo Muſſettuſ Edimburgum perducitur, ac ſine ulla cunctatione addicitur neci. Eadem indiãta catholicis duobuſ proceribuſ eſt poena, quòd ſacrificantiſ adfuiffent. Productuſ è carcere in ferale ſuggeſtuſ, unde illiuſ reſecta cervix oſtendatur populo ad terrorem & ludibrium, expeãtabat felicem & crebris vocatam votis horam. Jam pendeat in icãtum carniſex, cum ſubito clamor tollitur, & vita glorioſiſ Chriſti teſtibuſ conceſſa, deprecante Chriſtianiſſimi Regiſ oratore pronun- ciatur. Maſti omneſ diſceſſerunt: iſti quod yctarentur ſavire; illi quod vivere juberentur.



§. XV. Aliquot homines Societatis, post graves ærumnas in Anglia toleratas, pie placideque mortui, ab anno MDXCI. ad MDCXVI.

Claudet hanc Societatis in Anglia per hos XXV. annos vexata scenam obitus aliquot Anglorum ejusdem nostræ Societatis, qui licet sanguinem, ut alii prius memorati non fuderint, magna pars tamen periculum & vexationis fuerunt.

132. P. GASPARE HAYVODUS.

P. Gasparem Hayvodium annus 1598. diuturnis ærumnis liberavit. Inuentum etatem Anglica in aula traduxerat inter pueros nobiles Elisabethæ. Inde ad studia bonarum artium ac Societatem se contulit, in quam est adscriptus Romæ anno 1562. ætatis septimo ac vigesimo. Conscientiæ quaestiones, & controversia cum hæreticis dogmata explicuit Dilingæ per annos septemdecim. A Personio expetitus ut Angliæ laboranti succurreret, eò destinatus est à Summo Pontifice Gregorio XIII. cujus exstant litteræ anno 1581. datæ. Quam de se concitaverat expectationem egregiè sustulit in patria. Omnibus utilis & carus ita se in victos, egentes, afflictos, in hæresim lapsos, particibat, ut nulli desset. Ejus eruditione, solertia, & pietate multo plures, quam annis superioribus, ad gremium Ecclesiæ redecti perhibentur; atque inter illos genere, ac toleratis pro Christo ærumnis clarissimus Henricus Northumbriæ Comes; itemque Comes Arundelii Philippus Hayvardus; alique tam multi, ut Gabriel Alanus fratri suo Guillelmo Alano, postea Cardinali, scriberet *supere se in captiva piscium* (Luc. 5.) quam Hayvodus quotidie caperet.

Inter hæc incidit non levis in Anglia disceptatio, quæ catholicorum sententias distraxit. Mos erat jam inde a temporibus Sancti Augustini Angliæ apostoli susceptus, ut præter solemnia jejunia, Ecclesiæ legibus indicia, ferventur alia quædam; ut, feria sexta cuiusvis hebdomadæ; alicubi etiam quarta: nec non pridie festorum Deiparæ; itemque tribus, quæ dicuntur, Rogationum feriis. Placebat nonnullis tolli & abrogari penitus hæc jejunia extraordinaria: ceteri servanda iudicabant (P. V. Hist. ad an. 1583. n. 98. 99.) eam præsertim ob causam, ut longissimè recederetur ab hæreticorum moribus & institutis, qui jejuniis minime desistant. Personius in catholicorum sacerdotum consensu sapienter decreverat, ut quibus in provinciis ea consuetudo vigeret, ibi retineretur: alia communibus Ecclesiæ legibus uterentur. Ad hanc sententiam licet Hayvodus postmodum accesserit; nihilominus, Personio Angliam relinquere coactio, cum eadem controversia recrudesceret, concordie studio, ut quidem putabat, & propter nonnullorum querelas catholicorum, ejusmodi jejunia molestè ferentium, antiquare illa conatus est, & ad communem Ecclesiæ ritum omnia revocare. Quo facto in magnam apud rigidiores quosdam catholicos invidiam & offensionem incurrit. (Bart. Lib. IV. c. 6. 9.) In quo si quid peccavit, merito dici potest culpam eluisse præclaris heroicæ patientiæ documentis; quibus & virtutem probavit suam, & multos in avita Fide confirmavit.

Cum enim articulari morbo planè confectus, pristinis laboribus jam par non esset, ex Anglia revocatus est anno 1584. Sed in eam resante vento rejectus, captus & agnitus Londinum in vincula ducitur. Promissis illic minisque tentatus, ut pestifera simulatione religionem saltem occultaret, invictus stetit. Ergo ad audiendam capitis sententiam cum aliquot fortissimorum sacerdotum turba pertrahitur. Ab iis tamen subito sejunctus amandatur in vicinas ædes, & clam in Turrim Londinensem includitur. Id factum eo consilio, ut ejus eruditione atque adhortationibus destituti sacerdotes facilius vincerentur, & à Fidei constantia deficerent: qua tamen spe frustrata est impietas. Fieri etiam posse confidebant Regiæ administrari, ut crederetur per istam secessionem Hayvodus

religionem catholicam ejurasse, vel certè dissimulasse. Urebat enim illos, ut aliàs monui, tot Christi martyrum fortitudo, tot testium consignata sanguine veritas, & major tormentis patientia.

Sed falso ista credi, jaçtarique de Hayvodo brevi compertum est, cum percubuit quàm forti pecciore sustineret molestissimi carceris cruciatum; quem cum acerrimis podagræ doloribus, per septemdecim menses toleravit. Pari fiducia non modo magistrorum hæreticos captivos interrogationes elusit; sed tenebrosam eorumdem inscitiam ad lucem publicæ disputationis provocavit. Nemo cum illo conferre manum ausus, nemo provocationem admittere. Creverunt animi catholicorum, & veriti Elisabethæ actores ne, ut cruciando, sic disputando victi discederent, aucupari famam clementiæ, pulso in exilium Hayvodo cum sacerdotibus amplius septuaginta, maluerunt quàm periculosa concertationis aleam subire. Delatum in Burgundiam è patria Hayvodium nova in collegio Dolano pugna excepit, cum hoste Tartareo. Subibat sæpe in ejus cubiculum intempesta nocte malus dæmon, & in jacentem irruens, miris atque immanibus modis sæviebat, ut labefactaret patientiam athletæ Christi; quem ille clypeum nunquam tamen eripi sibi est passus. Quadriennio post Romam, inde Neapolim concessit: ubi Deus illum singulari piarum lacrymarum dono dignatus est, ita ut, sive sacrificaret, sive de rebus divinis miseret sermonem, liquefcente suavissimis affectibus animo, uberrimus ros ex oculis deplueret. Supremum fugiente vita certamen ceteris gravius iniiit cum spiritibus nefariis, quos, veluti post inducias, redire ad pugnam atrociores sensit: auditusque est cum iis altercari, & objecta crimina diluere. Demum, quasi victoriam adeptus, clara voce B. Virginem, tanquam ejus auctorem, compellans; eique gratias, quòd hostes infensissimos propulisset, agens, expiravit, quinto Idus Januar. 1598. æmensus annos tres & sexaginta.

133. P. THOMAS DARBISHIRUS.

P. Thomas Darbishirus, Anglus, emeritam senectutem feliciter clausit Mulliponti octavo Id. April. 1604. Religionis olim causam in Anglia impigrè tueri cœperat, cum Edmundi Bonneri Episcopi Londinensis, avunculi sui, pietatem æmulatus, cancellarii munere apud eum fungebatur: doctrina utriusque juris, prudentia & morum integritate præstans. Gravissimos cum eodem labores exhausit, ut hæresim felicibus Mariæ Reginæ, quæ Eduardo successerat, auspiciis convelli cœptam, penitus excinderet: nec non, ut eandem sub Elisabetha renascentem comprimeret. Eam ob causam dignitatis & fortunarum jaçturam, vincula insuper carcerisque sustinuit. Cum autem apud catholicos præclara doctrina & probitatis existimatione floreret, ab iis allegatus fuit ad Concilium Tridentinum, sententiam Patrum rogaturus, liceretne ipsis templa hæreticorum & sacra frequentare, cum in recusantes impia Regiæ satellitum crudelitas deserviret. Responsum Concilii retulit, negantis omnino id licere; simulque catholicos ad perseverandam difficillimi temporis acerbissimam, verbis exemploque est cohortatus. Sic odia improborum in se concitavit. Ergo in tetrum ergastulum contruditur, non ut viveret, sed ut diutius & occultius moreretur. Mærensem aliquando, & tædio prope victum, Christus JESUS erexit. Videre sibi visus est ejus imaginem in pariete, recenti sanguine perfusam, qualis erat, cum in cruce pro nobis animam posuisset. Mærorem depulit, ac novos addidit animos Servatoris amantissimi conspectus: nec aliud in votis deinceps habuit, quàm ut ejus causa vel crudelissimam obiret necem, cujus nece redemptus viveret. Itaque invitus carcerem exilio mutavit. Martyrii

tyrii tamen aliquando consequendi spe, Societatem JESU ingredi medians, venit Tridentum: ubi P. Jacobo Laynio, inter Pontificios theologos catholicam rem gerenti, se obtulit. Ab eo missus Romam, & nostro additus Ordini, anno 1562. etatis 45. cum in Angliam redeundi nulla spes affulgeret, in Galliam proficiscitur, ac Billomi thronibus regendis adhibetur.

Neque illic desuit ea, quam in patrie latebris querebat, cum errore dimicandi occasio. Gallia luctuosis domesticis belli, atque intestinarum discordiarum fluctibus jactabatur; Calvini secta partium studiis ac factionibus haud minus, quam pestilentis doctrinae veneno metuenda, passim armis virisque praevalida volitabat. Hic enimvero Thomae nostri eluxit industria, in revocandis ad catholicorum castra desertoribus. Annae veritatis tractabat insigni comitate, adeo ut certantes ultro se victori dederent, adductaque ad suas partes voluntate, intelligentiam jugo fidei facillime subderet. Quid quod ipsos Anglos (nam illi tum in Gallia frequentes occurrebant) quamplurimos expugnavit. In iis Georgius ille Gilbertus memoratur, qui Personium & Campianum postea duces secutus, signa toties victorica cum haereticis contulit. Interim satis gnarus quantum habeat momenti rudium institutio ad retinendam Fidem, infima plebi erudienda totum se dedit; quamvis inter eximios numerari concionatores posset. Servi sui humilitatem Deus carere premio passus non est. Ad eum audiendum confluebant non modo plebs & juvenus rudis, verum etiam corona procerum, ac theologi non ignobiles: qui haud semel Mussiponti conspecti sunt ejus verba, tanquam totidem oracula scripto excipere, ac dolere quod ista in majori theatro non proponerentur. Sed catholico doctore satis magnum theatrum facit spectator Deus, & praemii satis est anima vel una salutaribus praecipis informanda.

Venerat in dubium ejus valetudo & salus vitiatore, quod medicis, post alia remedia nequicquam tentata, visum est resuscandam. Adfuerunt caelestes & potentiores medici Petrus ac Paulus; quorum adventu fugit morbus, periculum evanuit. Antequam Societatem ingrederetur, cum anxius fluctuaret quodnam potissimum amplecteretur de variis religiosorum hominum institutis, inclinaretque in illud vitae genus quod contemplatione ac secessu gaudet; audita vox, incertum unde, ad aliam vitam capessendam eum impulit. *Tu sane, inquit illa, otio bono, ac tibi utili perfrueris, interim animabus, quae pereunt catervatim, quid fiet?*

134. P. ROBERTUS ABIRCROMBIUS.

Laboriosa pariter & illustri militia defunctus P. Robertus Abircrombius, rudem & coronam ab eodem caelesti, ut confidere licet, imperatore accepit, in Brunsvicensi collegio, anno MDCXIII. Ibi non multo post initam Societatem, annos tres & viginti adjuvandis catholicis, & nostris thronibus institutis impendit. Postea per annos undeviginti versatus in Scotica Missione, dici vix potest quot carceres adierit, quot perulerit incommoda, quantum evangelici tritici vim in horreum Domini congregaverit. Edicto regio pronunciatum fuerat numerorum decies mille praemium ei, a quo comprehenderetur. Non levis est gloria tanti fuisse estimatum ab hostibus religionis; nec minor illius fortitudo, quod post hanc denunciationem non arripuerit fugam, neque aliter vitam consuluerit, quam se novis ac majoribus periculis obiectando; felicitas vero, seu potius Dei tutela non vulgaris, licetorum oculos ac laqueos tot annis effugisse. Accidit aliquando ut immixti satellites domum catholicam, ubi versabatur, obsiderent. Conjicitur subito per summam trepidationem, quae locum deliberandi non dabat, in vacuum & patentem arcam: scrutis quibusdam ac frivolis operitur. Tota domo susque deque proturbata, reperus non est. Senio debilitatum accepit Brunsvicam, & octogenarium vitam meliori dedit. (*Plura de illo vide supra, n. 102.*)

135. P. GUILLELMUS BATHEUS.

Allapsa divinitus, ut habebat persuasum, voce ad Societatem vocatus est P. Guillelmus Batheus, Hibernus. Catholicis ortus parentibus Fidem ab iis traditam constanter in patria coluit; omnibus propter generis nobilitatem,

& mores optimos acceptissimus, etiam iis qui religione ab eo diffidebant. Itaque Hiberniae prorex non dubitavit illum deligere oratorem ad Elisabetham, de gravibus quibusdam negotiis: quae dum prudenti singulari, annoque longe superante, feliciter explecat, Reginae admodum satisfecit. Blandientis splendore, illecebrae voluptatum; proposita, cum rebus in patriam, florentes nuptiae, generosam mentem de recta virtutis via dimovere non potuerunt. Imo dudorum inanitatem bonorum eo reputans attentius, quo ipsam propius introspererat, longum illis videri dicere constituit, Deoque se totum mancipare. Cum vero in genere vitae amplectendo hanc prudentem legem maxime valere intelligeret, quae monet, primum quam incipias, consulto; ubi consulueris, mature factum opus esse; statim atque Dublinum attingit, iam primogeniti transfudit in minorem natu fratrem, & abdicato ditionis ampla dominio, consulit se Opunium; ubi Divinae pariter & humanae sapientiae studuit. Jam illi certum erat religiosum vitae institutum sequi: at incertum quodnam capesseret, angebatur animo & pendeat. Hinc dulces solitudinis ac tute laetitia, nec non amor vitae severioris, ac penitentiae, inde prohibendarum sempiterno exitio animarum cupiditas, dubium varias in partes trahebat. Hunc in modum estuans audire visus est istas voces à Joannis Evangelio depromptas (*cap. 10.*) *Ingrederetur, & egredietur, & pascua inveniet.* Haec verba quid sibi vellent, & quorsum pertinerent, non assequabatur. Ergo ad ortum conversus, hanc esse vim illorum & sententiam intellexit, ut ingressusque vitam agerem designaret, quae ad preda animarum colligendas ultro citroque commeat: illa vero pascua suavitatem diving contemplationis indicarent, quae pascuntur animae inter assiduos pro salute proximorum labores, & veluti saginantur.

Hac interiori luce perfusus venit in Belgium, & actuosae Societatis militiae nomen Tornaci dedit anno MDXCVI. etatis primo & trigesimo. Biennio circiter confecto, curam gessit Anglicae juventutis, quae Audomaropoli, tanquam subsidiaria cohors curaret in Anglia religioni, educabatur. Illi Bathesurum ergastulius & equuleis popularibus animos asperavit: eoque igne juvenibus incensis nihil erat longius quam repagula, quibus adhuc per etatem conficti amebantur, perumpere, ut laboranti patrie, quam promiserant, opem ferrent. Crevit sacer Bathesuror, suscepo sacerdotio. Excubabat in omnem aliam salutis occasione, diu, noctu, domi & foris; ad humania, quaequumque se offerent ubicumque pericula, molestias, & labores paratissimus. Sed illum tamen laetatus amor natalis soli vehementius ac suavius raptae, clades religionis farcire cupientem. Quamobrem summa est affectus leticia, cum datus fuit ab Aquaviva comes P. Ludovico Mansonio (*Supra, n. 115.*) quem Pontifex Nuncium Apostolicum, ad consolandum regem catholicum destinabat in Hiberniam. Ambo Hispaniam primum petierant, mandata quaedam à Rege Catholico accepturi; cum repente mutata rerum fortis legationem disturbavit. Relictus in Hispania Bathesuror reperit ingentem campum, in quo exercebantur minore periculo, fructu non dispari.

Enituit ejus in primis pietas & industria Salmanticae, in tradendis S. Ignatii spiritualibus exercitiis. Haec mirae morum secute mutationes, in civibus, in nobilitate, in juventute academica; quae in hoc bonarum artium domicilium est tota Hispania concurrunt. Paucis mensibus amplius trecenti è famosis magnorum scelerum actoribus & patronis, partes virtutis, & patrocinium susceperunt, stupente civitate.

Neque ipse parcius pietas ejusmodi mentis exertationes, aut seignius usurpabat, quam tradebat aliis. Ter anno quolibet solidos decem dies illis impendebat. Praeterea singulis mensibus lucem unam trahebatur omnis expertem cibi. Tunc mentem praeparatum, quotidianas actiones, negotiorum transactionem, statum denique animi sui universum recognoscens, & in futurum prospiciens; novum ad ea quae instabant agenda, vel toleranda, vel impetum cepebat. Hunc fugae reformationis appellabat them. Haec illa sunt pascua opima, quibus fortes animae turantur.

turatur, & vigent: dum in se, vel potius in *potentias Domini*, ut Regius Vates canit (*Psalm. 70.*) ingrediuntur; & inde ad opem mortalibus ferendam egrediuntur, tanquam sumpto excellenti cibo, valentes & robuste. Neque duntaxat oratione pascuntur & corroborantur, sed ipsa mortificatione; qua, dum atteritur corpus, mens valebit. Bathicus cilicio utebatur asperimo, quotidianis flagellis se cruentabat, formum jacens in tabula, vestitusque carpebat: & quamvis ingentem egenorum turbam aleret, pauperum pane omnium procurator & pater; ipsum tamen pecunie pretium, ac propè nomen, ignorabat. Eodem studio salutis aliene incitatus insituit Salmantice fodalitatem nobilium, & numero & pietatis exemplo florentissimam: promovit Seminarium Hibernicum, unde in hanc insulam præfidiis salutaribus adjuvandum egregii sacerdotes, religiosi viri, & doctores sanctorum denique & martyrum agmina prodierunt. His rebus præclarè gestis cum ejus nomen increbresceret, acutus est Madritum; ut fructum & tanta virtute atque industria civitas regni primaria caperet. Pii consilii immatura mors intervenit: que illuc adventantem sustulit XV. Kal. Quintil. MDCXIV. annos emensum octo & quadraginta; illi certè optanda, ne infelicis patrie *videret exterminium*, quam infesta religioni catholice procerum odia in fummas angustias conjecerat.

136. P. GUILLELMUS VESTONUS.

Hujus infandi quod Anglia facris inferebat, bellum omnem per annos complures summa felicitate pariter ac fortitudine sustinuit P. Guillelmus Vestonus, Anglus Cantuariensis. Adolescentiam traxerat in Oxoniensi academia: ubi persæpta hereseos fraude ac malignitate, ab ea desecit; Romamque proficiscens, post emensum Duaci theologie curriculum, cooptatus est in Societatem anno MDLXXV. ætatis 25. Inde in Hispaniam delatus, auctusque sacerdotio, navavit Gadibus & Hispali operam utilem popularibus suis, eo religionis aut commercii causa consentientibus. Hunc Anno MDLXXXII. P. Robertus Personius, perditionis damnatus post necem P. Edmundi Campiani, & in Galliam fugiens, sibi successorem, qui nostris in Anglia regeret, ab Aquaviva impetravit. Quare Parisios evocatum, & opportunis ad rem bene gerendam præfidiis instructum, in Angliam dimisit, comite fratre Rudolpho Emersono, rerum & locorum perito: quippe qui diu Campiani socius, & pars periculorum erumnarumque ab eo exhaustum magna existerat. Postquam Anglicum portum tenuere, Vestonus in certas ædes, non procul Londino diverterat, Emersono in navi, ad custodiendas fascinas, relicto. In illis reperi à portitoribus pii quidam libri Emersoni in grave periculum adduxerunt. Vincit torsusque hæsit annum integrum in carcere. Desliturus carissimo socio & itinerum duce Vestonus, in Divine Providentiæ sinum tanto fidentius se conjecit, quanto acrius in ejus caput undique struebantur insidiæ. Nam simul atque de illius in Angliam adventu fama percubuit, nulli paritum est diligentie, fallaciæ, sumptui, ut comprehenderetur. Ille, præsum omnium sibi visendum, & consolandum in Turre Londinensi putavit P. Hayvodum, cui ad carceris incommoda molestissimus articulum dolor accesserat. Medici cultu ac nomine penetravit in ergastulum; & præclarum Fidei defensorem amantissime complexus summa voluptate affectit, ex eoque multa cognovit, que ad religionis in Anglia statum, & catholicorum in tantis angustiiis juvenandorum artes innocuas pertinebant. Quas deinde tum innata solertia, tum vero cælesti ope, Vestonus adeo feliciter adhibuit, ut ejus ignoti latentisque nomen toto regno vulgaretur; jactarentque alterum in eo revisisse Edmundum Campianum. Sanè illius vestigia cum sectari studebat, tum etiam nomen adscivit, seque deinceps Edmundum Vestonum appellari voluit. Dum Angliam, nullo diu consistens loco, pervolat; dum ita studet externorum salutem nostrorum incolumitati & religiose perfectioni diligentissime consulat; mirum est quot effugerit insidias, quot labores adierit; quam sæpe in sublerraneos specus, ut exploratores falleret, detrusus; aut in silvas feris ipsis inaccessas abditus sit: quoties quasi captus

Partis V. Hist. Societatis Jesu Tom. II.

capi non poterit; quoties visus & præsens, videntes præsentisque veluti longè abfens effugerit. Aurea plerumque dabat confidentibus inter ambulandum, tanquam in familiari colloquio; & discedentes comiter, ut sit, salutans, de peccatis absolvebat. Divinum panem in publicis diversoriis, ut à suspitione remotioribus, aut in silvis ministrabat. Sed illi tamen hujus qualicumque libertatis & utiliter agendi tempus, exiguis limitibus definitum à Superis fuit; fortiter verò patiendi multo longioribus. Cum in eum unum investigandum conversi velut essent Angliæ universæ oculi, pedem non proferebat, quin lateri proditor adfaret: nec tam stupendum est illum fuisse aliquando deprehensum, quam tandiu tot imminentes manus, tot oculos apertos declinare potuisse. Vocatus Londinum à catholica familia, dum pulsat fores, respicit nescio quem ad se contento cursu ferri. Ab eo prehenus, sequi jubetur nomine Regine. Dum resistit, & hominem excutere nititur, eumque se, qui putaretur, esse dissimulat; Imo, inquit alter, novi te Edmundum Vestonum, sacerdotem catholicum & Jesuitam; clamoremque tollit. Accurrit vicinia. Vestonus ad Valsinghamum; à Valsinghamo in carcerem abripitur.

137. Conficta fuerat per eos dies ab Elisabethæ administris, ad querendam in catholicos, tanquam regni Regineque hostes, invidiam fabula. Eos aiebant conjurasse de Regina perdenda; de Maria Stuartæ eximenda vinculis, & in ejus locum subroganda; de restituendo catholicis regno; denique de Edmundo Vestono in sede Londinensis Episcopi collocando. Huic fabulæ & conjurationi fidem ut faceret Valsinghamus, atque ad ferendam equiore animo Mariæ Stuartæ necem, que paucis post mensibus contigit, populum compararet (quod parricidium nulla tam fera posteritas obliviscetur, nulla non detestabitur) ejusmodi stropham composuit. Erat in Anglia nobilis adolescens Antonius Babingtonus, ingenio, litteris, opibus, religionis catholice studio prestans. Hunc statuit fabulose conjurationis ducem facere. Igitur duos veteratores delegit, qui adolescentem in paratas insidias perducerent. Adrepunt in ejus familiaritatem; catholicorum se partium studiosos profiterentur; & ad eas amplectendas, si detur locus, prompti. Deplorant identidem illarum statum miserabilem, de remediis ferociorem paulatim inferunt: unum sibi videri facillimum certissimumque, si Maria Stuartæ ex arce, ubi detinebatur, crepta transmittatur in Gallias ad Guisios Principes ipsius propinquos. Valde illis assensus est Babingtonus: imo, de eorum sententia, rationes rei conficiende inire cum amicis tredecim, idem sentientibus, cepit. Ubi sic affectum adolescentem proditores cernunt, admonent Valsinghamum, ejus jussu comprehenditur (*Anno 1586. Septemb.*) unà cum istis tredecim amicis: qui nihil in Elisabethæ caput nefarie cogitasse deprehensi sunt, neque de Maria in solium invehenda, sed vinculis duntaxat emitenda, conspirasse. (*Bartol. Lib. IV. c. 13.*) Questum ab iis diligenter de P. Vestono, ut ejus conjurationis particeps diceretur. Negarunt una & constanti voce omnes eum vel auctorem sui consilii vel conscium existisse. Alias atroces calumnias eidem Vestono ac Societatis Patribus impostas Vatonus & Clarkus palam recantantur, cum ad supplicium raperentur, tanto veriori testimonio, quanto minor tunc erat simulandi aut dissimulandi locus. Non desistunt nihilominus iudices callidi reos, quicumque producebantur, subdolis interrogatiunculis, minis, tormentisque fatigare, ut vel syllabam ab iis expiscarentur, aut conjecturam, unde suspicio in Vestonum excerpti posset. Ea spe dejecti, adeunt ipsummet in carcere: injiciunt sermonem de Babingtono, quasi aliud agentes. Sed cum Patris prudentia nullum captiosum petitionibus aditum daret, eductum ex ergastulo transducunt in confessum lætissimorum virorum; ubi honore non solito acceptum sedere jubent, & opero capite respondere. Hic de principatu Ecclesiæ Anglicanæ, quem Elisabetha sibi arrogabat; de nuptiis Henrici VIII. de Regina Scotiæ, ceterisque id genus invidiosis capitibus, multa vastre solerterque seiscitantur. Sed Vestonus in respondendo cautior, quam illi acutiores in interrogando, verbum

bum excidere passus est nullum, quo sibi aliusve detrimentum crearetur: imo tantam moderationem singulari prudentia & humanitate conjunctam præ se tulit, ut audita sit Elisabetha cum diceret *Fesivam Vestonum probate perspiciteque innocentie virum esse.*

138. Ea vox ad catholicorum aures perlata magnam illis & cupiditatem & spem iniecit liberandi hominis, quem Regina innocentem fatebatur, quem ipsimet non aliter venerantur ac patrem. Freqventes in aulam concurrunt: orant primores aulicos ut innocentis causam agere apud Elisabetham velint. Nemo, id qui suscipere auderet, inventus est. Unus etiam sic eos allocutus fertur: Si pro latrone, homicida, & sicario rogaretis, auferem; & confici rem posse non diffiderem: pro Jesuita dicere nemo apud Reginam impune aufit. Neque inanis hic metus erat. Tanto siquidem odio hujus nominis Elisabetha flagrabat, ut cum legatus Christianissimi Regis summo studio ageret cum Turcarum imperatore Constanti-nopoli, de retinendis in hac urbe imperii Turcici primaria Societatis hominibus; Elisabetha per suum oratorem de iisdem inde efficiendis unicè laboraret. Quid ab illa expectares domi sue, que domi aliene, tam procul, tam infensa nobis erat? Sed ubi Vestonus studia catholice nobilitatis, que ad se redimendum, collata etiam grandi pecunie summa, exarserant, cognovit; rogare singulos vehementer institit, eam ut mentem deponerent; & contra rem suam spemque fundendi pro Christo sanguinis venire desinerent.

Pergebant interim iudices, conjurati ad ejus perniciem maturandam, vestigare omnia unde speciosam in vulgus necis causam invenirent. Rursum ad examen vocatur ex improviso. Proponuntur Biblia ex editione Calvini, jubetur iis admovere manum, ac sancte jurare se clare, atque ingenue ad interrogata responsurum. Negavit se juraturum, ne profani tribunalis auctoritatem sacerdos agnoscere, ac jurejurando sancire, videretur. Ceterum, inquit, quod jurem nihil est: fidem do, quanta potest esse sacerdoti maxima & firmissima, me candide responsurum in omnibus, que cum equitate ac religione non pugnant. In ceteris taciturnum denuncio: nec verbum à me contra conscientie ac justitie leges ulla vis exprimet. Hęc dicendi libertas ne iudices ulterius infandam putarent, fecit. Ad pugnam ergo ipsam procurritur. Quatuor dimicatum est horis. Vestonus ab omni parte, palam & aperto Marte, clam & per cuniculos laceffitus; per omnes forensium cavillationum ac tendicularum ambages circumductus, impulsus jaclatusque, in gradu stetit; nec dimoveri de statione veritatis ulla vi, dolove potuit. Ne sic quidem cessit animus obstinatissimis adversariis, & spes vincendi. Vix reductus in custodiam fuerat, cum adest vir nobilis, cum erroris præcone; theologo scilicet majorum gentium, & Calvinianę scholę capite. Tum nobilis: Quoniam, inquit, de religione inter nos controversia est, hunc tibi doctorem adduxi; ex quo fortasse que parum hæcenus cognovisti, audies. Cui Vestonus: Hoc certamen si mea unius causa instituitur, tempus & opera perditur: si queritur veritas, hęc in lucem publice disputationis proferenda est, non angustiis ergastuli constringenda. Nonnulla in hanc sententiam locutus erat, cum discedens nobilis, ostio clauso relinquit solos. In his quoque custodie tenebris eluxit religionis divine lumen, & erroris minister qui venerat, recessit propemodum præco veritatis. Hunc enim ita jaclavit catholicus doctor, tam acribus argumentis estuantem percussit, ut pene caperetur qui capturus subierat; reversusque post horas complures nobilis, illum ex iniqua pugna dimidio minus Calvinistam, quam ante fuerat, subduxerit. Ad clamorem disputantium excitati qui tenebantur vicino carcere sacerdotes duo, aures admoverunt. Illos metus tormentorum, & premiorum ostentata spes, jam pene desertores fecerat; amboque, velut ampla religionis triumphatę spolia, hostes pietatis propediem educere parabant, magno catholicorum dolore ac dedecore. Audiebant quid hereticus theologaster proponeret; quid vicissim reponeret Vestonus: tantaque lux oculis, animo tanta vis infusa derepente fuit; ut parum abesset, quin è suis latebris exclamantes abrumperent

disputationem, seque ad victoris pedes abjicerent. Obstupuit delusa impietas, dumque victos proferre populo ad triumphum putat, victam se sensit. Sacerdotum alter statim inconstantię labem sanguine dato fortiter eluit; alter, etsi non eandem semper fortunam retinuit, ad extremum tamen è manibus adversariorum per catholicos ereptus, ac transmissus in Belgium, diem inter pios obiit.

139. At Vestonus arctiori clausus custodia; & ne cui prodesset, omnium alloquio prohibitus est. Sed ignem frustra concludas: erumpit sponte sua; & negatam sibi viam facit. Non poterant non eum adire interdum famuli custodis: tres ex illis salutaribus documentis imbutos ad Ecclesię sinum adduxit: itemque nautam, qui capitis condemnatus, & quæstus ad cenam Calvinisticam cum ceteris facinorosis fumentam, Calvino nuncium remisit: & quamvis incolumitas cum libertate ad heresim revertenti offerretur, persistit in proposito; ac mortalem vitam magna spe immortalis vite clausit. Quin etiam Vestonus inclusus variis ergastuli partibus catholicos in eum, ubi jacebat ipse, locum collegit Natalitia Christi nocte: ubi multis cum lacrymis, & alacritate sancta, terro sacrificio adfuerit omnes, expiati & celesti serculo passii; tum suo quemque cavo ante lucem restituit. Ad eam rem usus erat ingenio, & manu cuiusdam heretici, quem in ovile Christi reduxerat. Huic nullę fores erant clausę: feras omnes peculiari quadam arte referabat. Eodem igitur artificio pię usus opportunitatem focis obulit divina mysteria, nemine custodum conficio, usurpandi. Exinde alii mores in omnibus vincis observati; diffugere vitia, que in mediis carcerum vinculis infanda libertate frui solent: ipsius Vestoni fama in totum ergastulum, ex ergastulo in omnem Angliam permanavit.

140. Angebant hęc reginę administratos. Cur virum probum, spectate innocentię & eruditionis, neci dederat, causę nihil satis apparebat. Tum etiam irritare Catholicos non erat consilii, adveniente Hispanorum classe, & ingruente atroci bello. Igitur amore illum à civium oculis & frequentia, simulque lenta & obscura morte absumere decreverunt. Huic rei destinatum ab iis fuit castellum Visbicum in regni situm sinibus, loco insalubri & pestilenti. Antequam eo deportaretur, facta est illi potestas vitę cum ab amicis conquirendi; addito milite, qui ab ejus latere nunquam discederet. Sed Vestoni sanctimonie ac fidelitatis tanta erat apud omnes opinio, ut miles eum libere triduo toto urbem concursare passus fuerit, modo ante noctem solito se carceri redderet. Nec fidem heretici militis probitas viri fessillet: qui per eam occasionem impune per catholicorum domos effusus, stantes confirmavit, erexit labantes; trepidis metum, anxius dubitationem, exemit; omnes animis ingentibus implevit, ad acerbissimi temporis difficultatem Christiana patientia superandam. Sed nulli felicior extitit ejus aspectus & industria, quam nobili catholico, qui nunquam adduci potuerat, ut medicis animorum aperiret sceleratę conscientię vulnera omnia; quorum hęc natura est, ut si unum celaveris, alia penitus incurata remaneant. Observabantur ejus oculis spectra immania, dæmonum forme luridę, qui mancipio suo injiciebant manus; jamque, velut parta præda triumphantes, in conclavi subsiliebant. Vestonus hominem blande adortus, & multa circuitione usus, de peccatis, modo his, modo illis, percontatur: tum eorum feditatem, Dei majestatem violatam, bonitatem tandiu expectantis & veniam offerentis, demonstravit. Sic detectis paulatim vulneribus medicinam penitenti fecit. Cernebat eger hostes Tartaros paulatim discedere; minati aliquando, sed procul: donec peracta confessione universos conclavi exclusos, & pro foribus mæstos respectare lætus vidit: ac spei bonę, post acceptum Viaticum plenus, è vita cessit.

140. Neque hic silebo tamen divine justitię memorabile, quod idem Vestonus identidem narrabat exemplum. Senem inprimis lautum & locupletem, juris eundem peritissimum, diu conatus erat ab errore in veritatis viam revocare. Idque eo sperabat magis, quod fenex in catholica doctrina probe verifatus,

fatus, eam intelligebat esse multo verissimam ac certissimam; malebatque hæreticus videri, quam esse. Ne tamen partes diuturno labore oves amitteret, ita censuit eas cum hærese professione retinendas, ut simul sempiternæ salutis confuleret. Ergo, cum duas alterius & statis anni vicibus incoleret domos, alteram Londini, alteram suburbana; in utraque sacerdotem alebat: qui, si morbus ingrueret paulò gravior, præsto esset morienti; & de perfidia simulata hæresis absolutum; celo nimirum inferret. Miserum cautio vana lussit. Dum ex una domo in alteram commigrat, morbo corripitur. Accitus è viciniore domo sacerdos festinus accurrit, sed tardius: jam enim infelicem animam exhalaverat.

Perductus Visbicum Vestonus tres ibi Socios reperit, P. Thomam Mettamum, quem pestilentis loci ærummæ consumperunt: (*Supra n. 2.*) Thomam Poundum, anno MDCCXV. in Anglia mortuum, ut modo referemus; & Robertum Bicklegum Societatis novitum. Jacuit ipse in hoc sepulcro verius quam carcere, annos decem. Brevis tamen factum est ejus prudentia, ut ignotus antea & infamis locus, in scholam sacræ doctrinæ ac pietatis mutaretur; ad quam ex Anglia tota catholici concurrebant: imo ipsimet hæretici, pars videndi, pars disputandi studio. Invidit hominum hostis; & splendorem illum inimicis per turbulentos quosdam catholicos discordia parumper obscuravit, ut antea narratum est. (*Supra n. 127.*) Accusatus ergo ab iis perturbatoribus Vestonus, quasi conjurasset in Regine caput, Londinum deportatur anno MDLXXXVII. ubi usque ad ejusdem Regine mortem restitit.

Ac primo quidem biennio in tam horridum carceris infami spelem est conjectus, ut odoris graveolentia spiritum singulis momentis præcluderet, ac somnum eriperet; quem per dies quinquaginta vix horis decem vidisse se scribat: oculorum vero aciem maligna lux, per angustam ægrè rimam intermicans, propemodum obtulerit. Reliquis annis facultas identidem ex isto specu precepiendi concessa. Ceteris molestiis cumulum addebant hostes humani generis: qui non tantum terribis cogitationibus injectis, sed objectis quoque spectris horrificis, incussisque verberibus, extorquere patientiam, & in desperationis barathrum urgere præcipitem conabantur. Illuxit annus denique MDCCIII. obiit Elisabetha. Solio Angliæ universæ impositus fuit Jacobus Stuartus. Visum est indignum, in communi læticia partem Angliæ magnam jacere in squalore ac luctu ergastulorum, quibus regnum impleverat Elisabetha immanitas. Recludi carceres, perfringi tot innocentium vincula placuit: Oblata illis facultas in patria manendi, modo communia cum populo templa frequentare non recusarent: sin minus, iusti sunt regno excedere. Excessere perique omnes, in iisque Vestonus; paulo tamen, quam alii, serius (*die 3. Maii, anno 1603.*) è custodia emissus; tenatoribus libertatis ejus edictum subscribere cunctantibus. Demum post annos undeviginti transactos in patria, quorum septemdecim variis in ergastulis contriverat, discessit inter catholicorum lacrymantium complexus, & ipsorum hæreticorum laudes, testimonium palam virtuti tandi probatæ redditum: adeo ut, quem admodum in scribendo Personi gravitas, in dicendo Campiani copia; sic in vivendo Vestoni pietas in proverbium cederet. (*P. Henric. Morus Lib. IV. num. 25. Bartol. Lib. VI. c. 1.*) Caletum, quæ Gallia civitas Angliæ obversa est, à regis tribus custodibus delatus, inde in Hispaniam se contulit: ubi duodecim superstitis annis, usque ad ætatis sexagesimum quintum vixit, Vallisolei præcipue; Anglorum Seminarii curam gerens, omnibus caris æque propter morum suavitatem, ac propter virtutum venerandus, cujus ad præmium evocatus à Deo est V. Idus Apriles MDCCV.

141. P. P. ROBERTUS JONES, ET ROGERIUS LEA.

Vestono duos è nostris, gravium ærumnarum perpessione; graviorum desiderio illustres subiungam, P. Robertum Jonem & P. Rogerium Leam: utrumque Anglum. Jones annum habuit supremum vitæ quinquagesimum quartum, Societatis initæ tertium & trigésimum, laboris in Anglica vinea fructuosè collo-

cati vigésimum. In ea parte Angliæ, quæ Vallia dicitur, plurimum erat verusatus: neque æstivis caloribus aut hyemis inclementia deterrebat, quin eam assidue perlustraret; contigitque non raro ut per altam nivem carperet iter pedes, quo à regia deflectens via, subiret aedes catholicorum inobservatus. Ibi sub dio perlabat aliquando complures horas, fame confectus & frigore: sæpe ad mediam usque noctem, donec hæretici, qui erant intus, dilaberentur, aut familia esset in lecto. Inde graves contraxit morbos, & articulorum favos cruciatus: quos inedia voluntaria, vigiliis, aliisque incommodis augebat. Ad infantem sacro lustrandum fonte, nocte intempesta, profectus ruit in tenebris, & crus illisum saxo graviter offendit. Vix obduco vulnere ad ægotum procul arcessitus, ivit. Recruduit vulnus, pede iterum ad saxa offensante. Plaga per incisionem chirurgi, quia peritiores alios adire tuto non poterat, male curata morbum, morbus mortem conscivit. Unius è nostris aspectu, ad ægotum accurrentis, mirificè recreatus, ab eoque postremis morientium prædiis instructus, in Domino placidè obdormivit.

Rogerium Leam P. Gerardius piis exercitatum meditationibus, ita cupiditate servandarum animarum accenderat, ut etiam, antequam in Societatem cooptaretur, totus in hoc esse studio videretur. Cum porro id se facturum in Societate commodius tutiusque speraret, illam expetiit: & Romæ aliquandiu moratus in Seminario Anglicano, admisit Aquaviva, anno MDC. cum annum ageret ipse 32. Romanum cælum valetudini suæ infestum expertus, in Belgium, auctoribus medicis, transit; Anglicamque juventutem Audomaropoli in collegio Societatis excoluit; inducto præsertim usu Spiritualium Exercitationum, è quibus tantum se fructum hausisse cognoverat. Ex ea P. Rogerii schola præcones Evangelicæ doctrinæ ac Fidei catholicæ defensores in Angliam eductos ferunt numeris omnibus absolutos. Piis quoque legibus instruxit sodalitates quandam sacrarum virginum: quæ, curis mortalibus abdicatis, studia sua conferunt in puellas bonis moribus & omni, quæ feminis congruit, disciplina informandas. Hæc sodalitas per id tempus nata, brevi adolevit, & per Austriam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Italiam, ac ferè omnes Europæ partes propagata est. Has inter curas debilitata Rogerii valetudo, quem *Zelus domus Dei* dies noctesque absumebat, coegit illum Angliam repeteret, ut patrio cælo convalesceret. Ingenti affectus est læticia, quod speraret pares beatis laboribus, ac morti pro Christo subeunda, resciri paulatim vires posse. Hæc secum agitans Dunkercam properabat; cum, redintegrato morbo, ad portum vitæ melioris appulit.

142. THOMAS POUNDUS.

Fluctibus variis ac procellis per annos amplius 30. jactatus, ad eundem portum nonnisi anno ætatis 76. pervenit: nec immerito gloriari cum Apostolo potuit se fuisse *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in moribus frequenter.* (*II. Corint. 11.*) Primus omnium è Societate JESU, in Anglia, cætenis pro nomine JESU est oneratus; ac felici omine carceres, quos illa postmodum erat impletura, veluti consecravit. Priores vitæ annos multo dissimiles posterioribus habuit: atque haud scio an quemquam alium reperire sit, in quo divina benignitas electos suos ab inani rerum caducarum amore mirabiliter avocans, clarius eluceat. Natus Belmontii (*31. Maii 1539.*) in Anglia, parentibus genere ac virtute inclytis, primam ætatem litteris politionibus dedit in academia Vintoniensi: cumque Latini sermonis & poetico non vulgari laude floreret, eam ob causam est delectus è nobili juventutis grege, qui Elisabethæ Vintoniam primum subeunti, totius academix nomine salutem diceret. Inde Londinum ad regni jura legeque cognoscendas profectus, patre interim mortuo, scholam mutavit aula: quo eum dignitas, opes, amici, omnia invitabant. Brevi oculos procerum in se convertit. Stipatus adolescentum læto agmine, quorum in oblectationes patrimonium amplum splendide profundebat, omnium sibi benevolentiam ac fiducia conciliavit: parum interim de religione catholica palam

^aPalam & piè profitenda felicitus, quam satis habebat nimo retinere.

143. Diem Christi natalem, aliosque per annum insignibus mysteriis solennes & festos, Anglica aula (nimirum reformata è Calvini prescripto) celebrabat choreis, ludis scenicis, ac theatri licentia sumptuosa. Eiusmodi ludorum administratio uni cuiusdam ex aulica nobilitate demandabatur à Regina. Obtigit ista procuratio Thomæ POUNDI anno 1569. Eam sibi perhonorificam duxit, tum quòd regalis benevolentia non leve argumentum esset, tum quòd sumptum libenter & commodè faceret. Quid quod partem in hoc ludicro magnam se habiturum sperabat: nam arte saltandi & corporis elegantia aequales facile vincebat. Nec ipsum sua sefellit spes. Tam decorè, tam fecitè pedes ad numeros, aula plaudente, movit; ut assurgens Regina, manu coram omnibus prehensum laudaverit, ac perasum Leicestræ Comiti dereptum, ejus capiti, ut æstu ac sudore disfluebat, imposuerit. Sed mutata brevi scena longè diversum actori superbo plausum dedit. Vix paululum interquieverat, rursus ad repetendam saltationem invitatur à Regina. Tota cavea faustis vocibus personat. Prodit. Artus habiles modo rotat in multiplices gyros, modo sublimes tollit incredibili celeritate: nunc compositos gressus glomerat; nunc dividit ac diducit paribus intervallis: demum primoribus digitis unius pedis insistentis, eo velur cardine molem suspensæ corporis libratam, in orbem autem oculis offunditur subita caligo; & transmissa in caput à pedibus vertigine, pronus humi ruit. Admirationi rursus, laudibus ludibria, Reginae approbationi amara cavillatio successit. Qua percitus adolescens, aula & urbe relicta, in oppidum natale Belmontium se recepit. Hic rerum humanarum vanitatem, inconstantiam, & simillimam picæ fallacique scenæ pompam intuens, ingemuit; & annos numerosque tot frustra collocatos dolens, Mene, inquit, tam delusum hæctenus, tam immemorem mei vixisse! Ubi tot sumptus in pueriles facti ludos? Ubi tot dies aulicæ servituti dati, tot vigilatæ in obsequio Principis mortalis, ac mecum aliquando peritura, noctes? Ubi spes opum & honorum? Quoniam illa Regina & amicorum promissa reciderunt? Explosus irrisusque pellor. Hoc illud erat, cuius gratia religionem hausam à parentibus dissimulavi, falsam impiamque simulavi, animæ curam abjeci, salutem sempiternam in discrimen adduxi? Sed redeamus in viam. Errasse ac cecidisse profuerit. Dixit; & à catholica Fide apertè profitenda exorsus, disjunctis se ab hæreticorum familiaritate pestifera. Mox oratione ac meditatione, quam ad sex aut septem producebat horas; jejuniis, lectitandis SS. Patrum lucubrationibus; usurpandis crebro sacramentis, præterita scire damna non sine fœnore studuit.

Cum vero intelligeret nulla re alia facilius & citius operiri multitudinem peccatorum (I. Petr. 4.) quam caritate & salutis alienæ cura, in eam toto pectore incubuit: illud unum dies noctesque cogitans, quo pacto abduceret ab hæresi & scelere quamplurimos. Opes, quas à parentibus habebat magnas, & majores quotidie faciebat parcimoniâ, dividebat in egentes catholicos, quorum paupertatem infidiolæ sollicitationes impiorum ad religionem deserendam sollicitabant; deinde in hæreticos, ut beneficiis provocatos alliceret ad amplectendam veritatem: ac demum in vincios & ergastula, ubi religionis egregii defensores summa rerum omnium egestate premebantur; omnibus, præterquam Christo, spoliati. Ea servandarum animarum stis, qua Poundus flagrabat, carissimam illi Societatem JESU fecit; postquam ejus institutum cognovit ex Henrico Alvaro, sacerdote Anglo, recens in patriam ex Italia reverso. Igitur ut in Angliam illa inveheretur laboravit: egitque propterea diligenter cum doctore Guillelmo Alano, postea purpuratis Patribus adscripto, ut Robertus Personius & Edmundus Campianus secuturis eadem per vestigia commilitonibus præirent. Quo rumore conturbati hæreseos patroni, cum de utroque tetra sparsissent editis libellis crimina, ut illis auctoritatem & famam prius, quam vitam eriperent; Poundus auctor nostris fuit, ut ne-

cessariam operi Evangelico existimationem adversus improborum calumnias tutarentur: quod Personius egregiè præstitit. Campianus vero ad disputationem doctores Calvini provocavit luculentâ, & nunquam satis laudatâ, scriptiunculâ: in qua decem rationes proponit, ob quas hæresi fides omnis & auctoritas abroganda merito sit. Hanc scriptiorem deposuit apud Poundum, rogavitque ut, si comprehenderetur, illam vulgaret. Poundus præclarum eloquentie Christianæ fecum continuo in lucem edidit: atque haud scio an quidquam aliud unquam acciderit opportunius ad Societatem; vel potius Fidem catholicam, in Anglia illustrandam: audentiamque & incertiam adversariorum coarguendam.

144. Non contentus eo Poundus, ambire Societatem vehementer cepit, imo ad eam adducere lectam juvenum, quos devinxerat sibi arcibus, manum. In iis fuit ille Thomas Stephani, qui deinde navigavit in Indiam, collegio Salsettano præfuit, ac totum illum oræ Goanæ tractum per annos quadraginta excoluit. Cum his adolescentibus Romam proficisci decreverat. Diem condixerant, quo descenderent ad mare secundo Tamefi. Sed priusquam illucefferet, in Londinensem, ad quam Poundus diverterat: domum irrupit concubia nocte licitorum cohors, ac Poundo manus iniecit. Crimen illi geminum imponebatur. Primum, quòd populares suos ubique à Regina obsequio averteret, hoc est, in Apostolica religione confirmaret: alterum, quòd relicta patria in catholicorum regna disurgeret. Ad utrumque accusationis caput ita respondit, ut neque terreretur sententium minis, neque blandientium insidijs captaretur: cumque id ab eo preterit unum, & saltem ut in urbana concione cum populo vel femel appareret, recusavit. Quamobrem ductus in vincula, in iis fuit per sex menses; donec Suthamptoniæ Comes vadem pro illo iudicibus obtulit, ac spondidit neque patria excessurum, neque deinceps de religione concertaturum. Hac fiducia Belmontium est dimissus. Nequaquam tamen se continuit, quin vehementius, quam antea, erroris defensores lacefferet; ac veritatis partes acris, in ore omnium oculisque, defenderet. Rursum igitur injiciuntur illi manus, & ad tribunal Horni Episcopi Vintoniensis rapiunt. Ibi orta disputatione, cum Episcopum in magnas conjecisset angustias (erat enim & ingenio & studio ad hæc certamina paratissimus) damnatur tanquam pervicax, & Londinium ad causam in suprema regni curia dicendam, amandatur. Intellexit longiorem in carcere Londinensi moram, nec facilem exitum inde, fore. Quare familiarem suum Thomam Stephani, Romam ad Propositum Societatis misit, anno 1575. qui sua illi vna exponeret. Rem è sententia Thomas consecit: suamque & amici causam ita sedulo egit, ut Everardus Mercurianus utrumque in Societatem acceperit. Mox nihilominus Poundum per litteras, ut veste Societatis abstineret tantisper, dum acerbitas illa temporum miteretur: aliaque nonnulla in rem opportuna subiecit.

145. Hoc beneficio, his litteris accensus Poundus, dignum corpore, cui erat insertus, membrum se, invicta patientia, maximisque ceterarum virtutum exemplis, præbuit; ingentem animum & cruciatibus omnibus arumnisque majorem per undecim carceres, in quibus per annos triginta vixit, circumferens. Septem annis in arce Londinensi confictus mansit: quatuor in ea custodia, quam Marecalli sedem vocant: sesquialtero in Storfordienti: decem in VVibicensi: tribus in Framinghamia: reliquis annis huc illuc deportatus est, eo duriore martyrio, quo longiore. Id causæ fuit, cur sacerdotio nunquam initiatus, in infimo Societatis gradu consisteret. Marcerandum domandumque tot malis Elisabetha iudicabat, eique mortis obundæ pro Christo gloriam, ut audita est non femel profiteri, pertinaciter negabat. Mitto dicere, quam sæpe interrogatus, affectus ignominia, supplicio tortus fuerit: quam multis, in ipsa ergastulorum nocte, lucem veræ Fidei attulerit: adeo ut pseudo-episcopi nihil sapius quererentur, quam ab eo carceres in templa & cœnobìa converti. Ab uno exemplo de reliquis facile conjectura fiet. Cum

Cum in subterraneum Storfordia antrum immitteretur, adfuit ferrarius faber, qui compedes pedibus inderet. Eas ut exofcularetur Poundus, demisit vultum. Id faber atrox & inhumanus in ludibrium & contumeliam accipiens, ferreos annulos ipsi tam duriter iniecit, ut e fronte sanguis copiosus eruperit. Tum Poundus blanda voce, Ah! utinam, inquit, sanguis ille mihi ex omnibus membris manaret! quam libenter totum pro tam bona causa profunderem! Miratus faber tantam moriendi cupiditatem, querit quid id rei sit; quæ causa catholicis hanc fiduciam asserat, ac moriendi libidinem. Ingressus data occasione Poundus in sermonem de religione, tenebras dispulit, quas ejus menti rerum inficitia offuderat: simulque tantum catholice veritatis amorem excitavit, ut eam aperte fuerit professus; ac vicissim fortunata vincula ultro sibi passus induci, in iis mortuus deinde fit.

146. Post obitum Elisabethæ affulserat spes fortunæ melioris. Ausus est Poundus Jacobo Regi, ex ipsis vinculis, libellum offerre supplicem; ac pro se, catholicisque, perorare. Sed Regem deteriora consilia jam subvertebant. Itaque Poundus, multaturo grandi pecuniæ summa, & perpetuus ipsi carcer, in quo sepebatur ante mortem, constituitur: additur pœnæ ignominia, ut intereo publicas in numellas collo, prosteret in frequenti foro, & ambæ illi præcidantur auriculæ. Sic peragitur illud supplicii perquam ignominiosum genus. Stat in platea stipes præaltus: in suprema ejus parte protenditur lata è ligno tabula transversa, tribus distincta foraminibus; duobus hinc inde minoribus, in quæ manus inferuntur; medio uno & majore, quo collum stringitur, exstante supra tabulam fontis capite; aures eidem tabulæ clavis affiguntur. Vifa res indigna non catholicis modo, sed hereticis etiam proceribus, hominem spectata nobilitatis & probitatis, eodem atque despiciatissimos gañones ac latrunculos, affici publicè cruciati. Quamobrem, ut Poundi aures carnis ex temperaret obtinerent: deinde etiam cum Oratoribus Gallo & Veneto egerunt, ut Regem adirent, qui eorum deprecatione motus, annuit ut Poundus vincula denique deponeret. Doluit vir fortis oblatam toties sibi palmam in manibus infringi, & ætatis senio laboribusque fractæ tristes reliquias in otio consumi. Quamquam minime otiosam senectutem transegit, animabus ab interitu vindicandis, ut semper deditus; pœnitentiæ voluntariis, oratione, ac jejunio, erumnas carcerum, & prioris vitæ acerbitatem compensans; semper abstemius, semper è Patrum, qui Societati præerant in Angliâ, nutu suspensus; & nunquam, ut ipse ad P. Robertum Peronium scribit, *se arbitraris comprehendisse, sed ad destinatum persequens, ad brachium superne vocationis Dei, (Ad Philipp. 3.)* quod anno demum MDCXV. à brachuta Christo, pyætes emeritis accepit Idbus Martii.

147. E Sociis octo & sexaginta, quot in Angliâ numerabantur eodem anno MDCXV. sex in vinculis tenebantur. Tribus enim, qui jam erant annis superioribus comprehensi, tres idem annus addidit, nimirum PP. Antonium Tilhem, Laurentium VVorthingtonium, & Franciscum Yongum. P. Guillelmus Balduinus quintum jam annum in arce Londinensi jacebat. Patres Gervasium Polum, & Alexandrum Fayrclyffum in eandem inclusos antea meminimus. Illi nominis & instituti sui memores, impediri arte nulla potuerunt, quin evangelicam docendi, disputandi, & adversarios pudore ac vulneribus afficiendi libertatem in custodia retinerent. Orator Belgicus pro libertate P. Alexandri Fayrclyffi accessit ad Regem deprecator molestus & irritus. Cum tamen inflare pergeret, ne nihil ei Rex concederet, P. Gervasium Polum, P. Fayrclyffi loco, liberum esse iussit. Is traditus in Belgium, anno vertente reverfus est in Angliam. Interim alii Societatis sacerdotes impigre curas omnes ad firmandam religionem intendebant: præsertim vero ad auferendam fidem juramento Fidelitatis. Illud à Paulo V. prohibitum disertis verbis fuerat. *Quia perspicuum est, inquit in suis ad Anglos catholicos literis, datis V. Kal. Octob. anno 1606. quod hujusmodi juramentum salva Fide catholica & salute animarum vestrarum præstari non potest,*

cum multa contineat quæ Fidei, atque saluti aperte adversantur. Quam jure ac merito fuisset ita definitum à Summo Pontifice ostenderant eruditè scriptis viri doctissimi, ac præsertim Cardinalis Bellarminus, qui lucubrationem suam ediderat sub nomine Matthæi Torti. Erat iste domesticus ejusdem Cardinalis sacerdos, & illius facelli custos, Respondendi Bellarmino partes imposuit Angliæ Rex Lancillotto, tunc antistiti Cicestrensi. Perfonius quoque Juramentum egregiè lucubratione oppugnaverat; quam Rex initio neglectam, postea tamen refutandam dedit Episcopis Lincolnæ & Bathoniæ. Ex istis doctorum virorum scriptis abundè patebat iniquitas Juramenti & periculum. Catholici nihilominus aliqui per nomen infidiosæ pacis illud defendere non cessabant; exemplo etiam Gallie freti, cujus in comitiis proposita fuerat per idem tempus (*Lib. XII. num. 96.*) jurisjurandi formula; illi Anglicanæ non absimilis, ut multi existimabant. Hanc certe Rex favere sibi haud dubitans, triumphabat. Non passus est illum injusta diu frui læticia consensus comitorum Regni Christianissimi, à quibus hæc formula statim repudiata fuit. Graviter tulit Gallorum pietatem Anglus, & in eas erupisse voces fertur, Gallie Regnum contage Jesuitica inquinatum esse: simulque provinciam dedit Calvinistæ Gallo, elucubrandi commentarii, cui suum ipse Rex nomen præscripsit. *Vox quidem ac nomen Jacobi, manus autem Mullenii Calvinistæ fuit.* Nec satis habuit tueri juramentum Anglicanum scripto, sed pœnas graviores prioribus adjunxit.

148. Litteræ Roberti Cardinalis Bellarmini ad Regem Scotia.

JACOBO SCOTORUM REGI. Serenissime Rex. Per Doctorem Drumondum, qui Romam Jubilei causa venit, accipi litteras Majestatis tuæ plenas humanitatis, & officii. Ex ipso autem D. Drumondo cognovi quam præclaro ingenio, quam maturo judicio, & quam insigni ac verè regia benignitate, atque clementia Deus noster Majestatem tuam ornaverit; cujus clementiæ participes etiam esse audio maximam cum animi mei læticia eos, qui Religionem catholicæ Romanæ Ecclesiæ colunt: ob quæ omnia in spem veni facile fore, ut Majestas tua ferè aliquando animum applicet ad id, quod est super omnia maximè necessarium, id est ad veram Ecclesiam cognoscendam. Nam neque extra Ecclesiam salus esse potest: & Majestas tua ex Evangelio novit, nihil homini profuturum, si univèrsum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat. Sceptrum, & diadema, purpura quoque, & opes regiæ, res temporariæ sunt, quas nec in hunc mundum, cum nasceremur, inulimus, neque potest ullus eas post obitum retinere. Vera fides, quæ per caritatem operatur, æternæ vitæ, sempiternæque felicitatis participes nos facit. Majestas tua parentes catholicos Romanæque Ecclesiæ addictissimos habuit, educatores verò ab eadem Romana Ecclesia alienos. Parentum ne, an educatorum Ecclesia verior sit, non difficulter intelliget, si vel ea veræ Ecclesiæ signa paulò diligentius considerare voluerit; quæ Sanctus Augustinus describit, cum in libro, quem scripsit adversus Epistolam Manichæi, sic ait: *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ gremio me iustissime teneant: tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata. Spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum successio sacerdotum: tenet præteritè ipsam catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses se ipsa sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur; nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat offendere.* Hæc certè omnia, quæ Sanctus Augustinus enumerat, ita quadrant in Romanam Ecclesiam, ut cœtibus hominum ab ea disjunctis nullo pacto accommodari possint. Consensio populorum, atque gentium

tium in cœtum Calvinianorum, ut de illo solo interim loquamur, nulla est, cum is cœtus in Asia, atque Africa, & in maxima Europæ parte locum nullum habeat. Auctoritas miraculis inchoata, qualis apud Calvinianos esse potest, apud quos miracula visa sunt nunquam? De vetustate nihil est quod dicamus, cum nostra memoria Calviniani exorti sint. Successio nunquam interrupta sacerdotum ab ipsa Petri Sede, usque ad præsentem Episcopatum ne fingi quidem potest ulli Ecclesiæ convenire, nisi Romanæ. Denique ipsum Catholicæ nomen ita eminet, ac semper eminet in Ecclesiâ Romanâ, ut nulla scia illud sibi tribuere unquam ausa sit. Scio multa narrari, vel potius fingi à Ministris de doctrina catholica longè aliter, quàm veritas se habeat: quæ est potissima causa, cur multi populi lucem veritatis aspiciere non possint: sed Majestas tua eo iudicio, atque ingenio, per Dei gratiam, prædita est; ut si velit, facile possit eorum fraudes detegere. Ac ne longius eamus, relatum est mihi à viris fide dignis, Ministros Calvinianos in Regno Majestatis tuæ publice è suggesto inter concionandum non semel dixisse, me revocasse omnia, quæ in libris meis pro Fide catholica adversus Lutheranos, & Calvinianos disputavi, atque adeo factum esse Calvinianum, & quod mirabilius est, Romæ à Summo Pontifice propterea comprehensum, judicatum, damnatum, extremo supplicio miserè perisse. Quod si ejusmodi mendacia, quæ multis millibus testium refelli possunt, Ministri confingere audent; quid in rebus obscuris, & antiquis non audebunt? Ego enim per Dei gratiam, ne syllabam quidem revocavi eorum, quæ scripsi adversus Lutheranos, & Calvinianos: & Deo benè juvante, non solum non revocabo, sed usque ad extremum spiritum Fidem catholicam Romanæ Ecclesiæ animo retinebo: nec solum vivo, sed vivo in oculis Urbis, cum dignitate longè majore, quàm voluissim: elegeram enim abjectus esse in domo Dei mei; sed placuit ei, cui obtemperare necesse habeo, dicere mihi nil tale cupienti, vel quærenti, quin potius refugienti, & recusanti, *Ascende superius*. Sed nolo diutius abuti benignitate Majestatis tuæ. Longius provecus sum scribendo, quàm cogitaveram; sed id fecit ardens desiderium, quo verè teneor, ne Rex tantæ expectationis, tam excellentis ingenii, tam præclaræ indolis, ex catholicis parentibus natus, extra finem Ecclesiæ catholicæ, idest extra sortem Sanctorum, in die Domini reperitur. Quod ad negotium attinet Episcopi Vasionensis; nunc quidem iustus de causis nihil obtineri potuit; sed si Majestas tua ad Fidem catholicam propius accesserit; nihil erit tam arduum, quod de Summo Pontifice, & de nobis omnibus sibi polliceri non possit. Valeat Majestas tua felicissimè. Romæ die 1. Junii 1600.

149. *Littera Cardinalis Bellarmini ad Blakuellum.* (*Ad num. 64.*)

Georgio Blakuello Archipresbytero Anglorum. Venerabilis in Christo Domine Frater. Anni sunt ferè quadragesima, quod invicem nos viderimus: sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis nunquam oblitus sum, teque in vinea Domini strenuè laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti: me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad altaria Domini locum aliquem habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc usque tempus non verbis, aut litteris; sed opere, & veritate, ut Sanctus Joannes loquitur, alter in alterius dilectione permanentis. Sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis & carcere ad nos venit: qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat, ob jacturam pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesiâ ista fecit; tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad martyrii gloriam, quo dono Dei nullum est felicius, propinquabas; ut qui tot annis gregem tuum verbo & doctrina pavisses; nunc exemplo patientiæ gloriosius pasceres. Verùm hanc læticiam non mediocriter interturbavit, ac ferè corruptit tristis alius nuncius,

qui de constantia tua in recusando illicito juramento ab adversariis tentata, fortè etiam labefactata, & prostrata successit. Neque enim, frater carissime, juramentum illud ideo licitum esse potuit, quòd aliquo modo temperatum, & modificatum offerretur: scis enim ejusmodi modificationes nihil esse aliud, quàm Satanae doctos, atque versutias, ut Fides catholica de primatu Sedis Apostolicæ vel apertè, vel obscure petatur; pro qua Fide tot inlycti martyres in ista ipsa Angliâ ad sanguinem usque pugnarunt. Certè enim quibuscumque verbis juramentum ab adversariis Fidei concipiatur in regno isto, eò tendit, ut auctoritas capitis Ecclesiæ è successore Sancti Petri ad successorem Henrici Oclavi in Angliâ transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, si Summus Pontifex eam in Angliâ potestatem habeat, quam in aliis omnibus Christianis Regnis habet; inane profus esse omnes qui sunt aliqua prudentia præditi, facile vident: neque enim auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad hæc nostra tempora, ut ullus Pontifex maximus Principem ullum, quamvis hæreticum, quamvis ethnicum, quamvis persecutorem, eadè mandaverit, aut eadem forte ab aliquo patratam probaverit. Et cur, quæso, unus Rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis Principibus nullus timuit? Sed, ut dixi, vani isti pretextus decipule sunt, & stratagemata Satanae, qualia non pauca in historiis veterum temporum inveniuntur, quæ facile referre possem, si non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem. Unum tantum, exempli gratia, ad memoriam tibi revocabo. Scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus in prima oratione in Julianum Imperatorem, illum, ut simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus Imperatoris, quas Romani civili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines Deorum salorum admiscuisse, ut nemo posset Imperatoris imaginem adorare, quin simul Deorum simulacris cultum adhiberet. Hinc nimirum fiebat, ut pluri deciperentur: & si qui fortè fraudem fubdorati, Imperatoris imaginem venerari recusarent; ii gravissimè punirentur, ut qui Cæsarem in sua imagine contempserint. Tale aliquid in juramento vobis oblato mihi videre videor: quod ea fraude compositum est, ut nemo possit prodicionem in Regem detestari, civilemque subjectionem profiteri; quin primatum Sedis Apostolicæ fervidè abnegare cogatur. Sed Christi servi, ac præsertim primarii Domini sacerdotes, ubi periculum Fidei subesse possit, tantum abesse debent à susceptione illiciti juramenti ut ab omni etiam suspitione simulationis prædicti juramenti cavere debeant, ne fidelibus populis ullum prævaricationis exemplum reliquissent videantur. Quod egregiè præstitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare voluit comedisse, quamvis gravissima tormenta sibi cerneret imminere: ne, ut ipse ait in secundo libro Machabæorum, multi juvenum per eam simulationem ad legis prævaricationem animarentur. Neque minus fortiter Magnus Basilius, & exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente Imperatore se gessit: nam ut in historia scribit Theodoretus, cum Prefectus Imperatoris hæretici hortaretur. Sanctum Basilius, ut non vellet propter parvam dogmatum subtilitatem Imperatori resistere; respondit vir ille sanctissimus & prudentissimus non esse ferendum, ut de divinis dogmatibus vel una syllaba corrumperetur, sed potius pro eorum defensione omne genus supplicii amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in juramento catholicis hominibus proposito continentur, & non esse propter rem tam parvam Regis imperio relucendum. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac Magno Basilio similes, qui palam affirmabunt, non esse de divinis dogmatibus vel minimam aliquam syllabam corrumpebam, etiam si tormenta, & mors ipsa toleranda proponatur. Inter hos unum, vel potius horum principem, atque antesignanum te esse par est. Et quamvis vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causa fuerit, ut constantia titubaverit; confidimus tamen de Domini pietate, & duritia

urna tua virtute fore, ut qui Sancti Petri, & Sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris; eorundem fortitudinem, in reparandis viribus, & veritate asserenda, feliciter imiteris: Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris; videbis profectò non esse rem parvam, quæ ob juramentum istud in discrimen adducitur, sed unum ex præcipuis fidei nostræ capitibus ac religionis catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apostolus vester Magnus Gregorius in epistola 42. libri undecimi scribat: Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur: tunc enim membrorum status integer perseverat: si caput fidei nulla pulsaret injuria. Itaque, Sancto Gregorio teste, cum de primatu Sedis Apostolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur; de ipso capite fidei amputando, & de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipando satagitur. Quod ipsum Sanctus Leo confirmat in sermone de assumptione sua ad Pontificatum, cum ait: Specialis cura Petri à Domino suscipitur & pro Fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Ex quo idem ipse in Epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ affirmare non dubitat necesse esse exortem illum mysterii esse divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere: qui rursum ait: Quisquis huic sedi principatum existimat denegandum; illius quidem nullo modo potest mingere dignitatem; sed inflatus spiritu superbia sua fenestipsum in inferna demergit. Atque hæc quidem, & alia ejusdem generis multa tibi notissima esse certo scio, qui præter ceteros libros Invisibilem Monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, & de Ecclesia Anglicana optimè meriti, sæpè legisti; quique ignorare non potes sanctissimos viros, eisdemque doctissimos Joannem Rossensem, & Thomam Morum pro hoc uno gravissimo dogmate duces ad martyrium plurimis aliis, cum ingenti Anglicæ nationis gloria, nostra memoria fuisse, Sed ad memoriam tibi revocare volui, ut colligas te, & magnitudinem rei considerans non tuo judicio nimium fidas, neque plus sapias, quam oportet sapere: & si fortè lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris & suppliciorum profectus est; non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum Dei: neque ob momentaneam, & levem tribulationem fugiendam, amittere velis æternam gloriæ pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti; cursum fermè consummasti, fidem tot annis servasti; noli igitur tantorum laborum præmia tam facile perdere: noli corona justitiæ, quæ tibi jam dudum paratur, te ipse privare: noli tot fratrum, & filiorum tuorum vultus confundere: in te sunt hoc tempore conjuncti oculi totius Ecclesiæ, quin etiam spectaculum factus es mundo, Angelis, & hominibus: noli in extremo actu ita te gerere, ut & tuis lætum, & gaudium hostibus, relinquas: sed contra potius, quod omnino speramus & pro quo ad Deum nostrum assidue preces fundimus, vexillum Fidei gloriose erigas, & quam con-

tristaveras, lætam facias Ecclesiam: nec jam solum veniam merearis à Domino, sed coronam. Vale: viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ, die 28. Septembris 1607.

Hanc Bellarmini ad Blakuellum epistolam, quæ in manibus omnium brevi fuit, egrè admodum tulit Angliæ Rex: cumque suum Fidelitatis Juramentum duplici Pontificio diplomate, atque istis eruditi juxta piique Cardinalis litteris, tanquam triplici nodo confringi graviter ac planè strangulari cerneret, opposuit eam lucubrationem, de qua mentionem antea fecimus, (*Num. 63.*) & cui titulus erat præfixus, *Triplici nodo triplex cuneus*: id scilicet innuens, scriptionem suam instar cunei fore, quo nodus ille triplex scinderetur, & argumenta sive Pontificis sive Bellarmini dissolverentur. Quantum allucinatus fuerit, ex ejusdem Bellarmini & aliorum responsis, quæ indicavimus eodem loco, patet.

150. *Excerptum è litteris Cardinalis Caetani, Angliæ Protectoris, ad Sacerdotes Anglos.* (*Ad num. 32.*)

Scire debetis, quod jam suprà attigimus, præcipuam Sanctitatis D. N. meamque his in rebus intentionem eò ferri, ut disciplina Ecclesiastica, quantum per temporum hominumque rationes istic fieri possit, conservetur, & præ ceteris pax unioque animorum atque concordia inter fratres ac sacerdotes, nominatim etiam cum Patribus Societatis JESU, qui unà vobiscum laborant in eadem vinea: quod Sanctitas Sua dignata est quibusdam sacerdotibus hinc in Angliam decedentibus nuper ore proprio, me præseste, seriò ac instantè precipere, neque hoc sine justissima causa. Nam cum Patres illi non solum hic & alibi strenuè impigrèque laborent pro causa Anglicana sustinenda, fundandis Seminariis, juventute instruenda, egenis fovendis, aliisque mediis plurimis; verum etiam in Angliâ quoque eadem charitatis opera prosequantur, hocque ad sanguinis usque profusionem, ut eventis facilius ipsis demonstratum est: cumque nullam ipsi habeant, neque habere pretendant in sacerdotibus secularibus, jurisdictionis aut potestatis partem, neque ullam illis molestiam exhibere, manifesta sanè hostis astutia, ac diaboli fraus censenda videtur, ad universum opus Anglicanum everendum comparata, ut quisquam catholicus emulationem in eos exerceat, vel excitet; cum contra potius omni amore ac reverentia prosequendi sint, quo ipsi majori alacritate sacerdotes reliquos, ut hæcenus, officiis, beneficiis, ac paterna planè caritate complectantur: & sic conjunctis animis operisque; opus hoc sanctissimum promoveatur. Unde si quis fuerit, qui hanc concordiam labefactare studeat, eum juxta Apostoli præceptum & Apostolicæ Sedis intentionem, notare debetis, ut vel admonitione corrigatur; vel poena coerceatur. Vestris orationibus me ex animo commendando Patres, Fratresque amantissimi. Romæ 7. Martii 1598.

